This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google


K GENT
zed by Google

Digitized by Google

Ma. 1050

Ma 1050

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TH. BARTHOLINI
De
COMETA,
Consilium Medicum,
Cum
MONSTRORUM
Nuper in Dania natorum
HISTORIA.

HAFNIÆ,
Apud MATTHIAM GODICCHENIUM.
Sumptibus PETR. HAUBOLD.
cIↃ IↃc LXV.

Digitized by Google

Fratri Charißimo

D. ERASMIO BARTHOLINO,

Regio Medicinæ & Matheſeos Profeſſori

TH. BARTHOLINUS S.

NE inter tot cœli prodigia & ingeniorum concertationes otioſus videar, Diogenem imitatus, doliolum quoq; hic meum volvo, & imperata neceſſitate pie forſan magis quam eruditè per ſuſceptum in orbe argumentum decurro. Tibi verò, quia propius cœlo cotidie admoveris, pagellas iſtas

Digitized by Google

mitto, ut in viam reducas si ingenio magis quam veritati calamum commodavi. Præsagii eventum DEO committo & tempori. Si alia auguria negligenda, quod DEUS velit, Tibi certè vigilatas noctes portendit sidus, literatis aliis labores, omnibus vel scribendi vel judicandi libertatem. Voti summa est, ut minacior sit stella quam perniciosior, & imminenti fato excipiatur cum Augusta domo Majestas Regia, in cujus incolumitate salus publica vertitur. Vale, & bis meliora, melior cœlorum interpres, ad nos remitte. Hafniæ V. Apr. clɔ Iɔc LXV.

Digitized by Google

TH. BARTHOLINI
DE
COMETA.
Consilium Medicum.

MOrbum universi aggredimur, ut de nostro securius transigamus. Non de Comate tamen, sed Cometa, dicturi sumus, quem ita alii appellant. Nos absessum. An id rei, quam tractamus, æquitati conveniat, judicent qui similia patiuntur. Nos enim in alieno quasi foro hic constituti, errare posse publice profitemur. Nec

Digitized by Google

tam amica ulli est Natura siderum, quin subinde verba det. Si veritatem non assequimur, pro suppositione inserviat Abscessus, ad explicanda pleraq; phænomena sufficiens. Veniam ab orbe cœlesti meruerunt Mathematicorum filii, hypotheses fingentes, quia & illi cœlestium veritatem, longius remotam, per interpretem quærunt. Cometarum inter cætera generatio & prognosticon à multis seculis ambiguum fuit, nec satis adhuc linceis oculis rem visam assequuti videntur, qui ætatem inter cœlorum experimenta consumpserunt. Mihi tamen hisce sacris vix initiato necessitatem amicus imposuit, ut quid de nupero Cometa sentirem,

Digitized by Google

tirem, amicè proferre non gravarer. Quanquam verò ab hoc ulcere manus abstinere potuerim, memor sententiæ *Pomponii* ff. de div. Reg. Jur. § 36. culpam esse, immiscere se rei ad se non pertinenti, & inter totipræclara seculi ingenia, quæ novo hoc sidere defatigantur, tutius ego, anser inter olores, silere, quam fatum magni *Scaligeri* in Cyclometricis experiri, debuerim; vicit tamen silentium Evangelus apud *Macrobium* l. 1. Saturn. c. 7. cui supervenire fabulis non evocatos haud turpe existimatur, & Anaxagoras ex *Laertio* l. 2. qui rogatus cujus rei causa natus esset, inspiciendi inquit cœli & solis & Lunæ. Nemo certè for-

Digitized by Google

tunâ ſideris criniti, quæcunq; illa futura ſit, excluditur, nec cæli beneficiis vel minis privatur. Dædalus pro me loquatur apud *Naſonem* l. 8. met.

Terras licet inquit, & undas
Obſtruat: at cœlum certè patet: ibimus illac.
Omnia poſſideat: non poſſidet aërea Minos.

Sol omnibus lucet, Luna innumerabilibus comitata ſideribus, etiam feras ducit ad pabulum, ſicut loquitur *Petronius*. Sanè ſine magna indignatione Medicus ubiq; verſatur, ut homini ſuo proſit, aliisq; vicem rependat. Patimur enim hos ſæpe manes ab illis qui extra artem remedia quærunt, & de morbis ſibi ignotis

Digitized by Google

tis judicandi sumunt licentiam. Scimus,

Et hanc veniam petimusq; damusq; vicissim.

Ut autem me Medicum sciam, omissis aliis deliberationibus, de venia certus, ad ægrum priscæ notæ ulceribus obsitum vocari me existimabo, ut de affectu molesto consilia communicem, visurus hac opera quid pro Comera illustrando, jamq; omnium oculis & censuræ exposito, absessus conferre possit, quo cœlum laborare credimus. More mathematicorum in subsidium advocandæ suppositiones, &, ut institutum felicius assequamur, in casu proposito causam ita affecti cœli, mox prognosticon,

Digitized by Google

deniq; præcautionem expendemus.

Pro confesso sumimus contra veterum rigorem, cœlum generationi & corruptioni esse subjectum, quod novæ stellæ indicant hic loci à *Tychone* nostro Heroe primum observatæ, & maculæ solares, quas densas & obscuras, nubibus circumterrestribus persimiles produci & dissolvi observavit *Galilæus*; pro parte verò corruptioni esse obnoxium cœlum, quia evanescunt stellæ, cometæ esse desinunt, & suos morbos idcircò pati, quandoquidem, ut canit *Naso* l. 1. Met.

— mundi moles operosa laborat.

Deinde astrorum cœliq; in hæc inferiora esse influxum, seu, ut

vete-

Digitized by Google

veteres loquebantur, ὀστόρροιαν, *Cicero* contagionem, tam validis rationibus hactenus apud plerosq; receptum, ut nemo facilè mihi aliud suadere possit. Inter multos hoc argumentum tractat *Aslacus* noster in Physica Christiana, qui legi meretur. Huc sua experimenta & Medici conferunt, ut cælum sibi amicum habeant in morborum curatione, sedulo providentes. Videndus de hoc negotio *Ganivetus*. Pro oraculis recitat *Hippocrates* 3. Aph. morbos ratione temporum mutari. Quam Sectionem tam per se veram claramq; judicat *Hugo Senensis*, ut explicationem ejus omiserit. Ὥρα autem phrasi Hippocratica, sicut expli-

cat

cat *Galenus* passim, canicularis tempus notat, de qua cautiones tradidit alibi *Cous*, quanquam de quavis mutatione cæli aërisq; accipi possit. Crisium doctrinam prætereo, aliaq; Medicis tam nota quam olim Martis lucus. Mulieres nostræ solstitio instante nec tela sua mundant, nec soli exponunt, ne corrumpantur. De me ipso testari possum, solstitiorum tempore ad omnia consueta munia inutilem esse, & quasi morbo instante lassari. Forsan declinantis ætatis sunt præsagia, annis & viribus sensim ad occasum vergentibus. Memini Senem *Christianum Longomontanum*, Astronomum magnum, Affinem nostrum, multis ante su-

pre-

prema fata annis, solstitio hyberno, filias generosq; extra urbem habitantes, cætera fanum adhuc & valentem, quotannis ad se convocasse, & tanqvam extremus immineret vitæ dies, ultimum singulis valè dixisse. Dignum repetita memoria est, quod de *Francisco Verulamio* in Vita ejus narrat *Guilielmus Rawley*, quotiens Luna in Eclipsi defecit, repentino animi deliquio fuisse correptum, etiamsi nullam defectionis lunaris notitiam prævia habuisset: quamprimum autem luna lumini priori restituta, confestim refocillatum convaluisse. Plenâ lunâ arreptos apoplexiâ quosdam fuisse observavit J. J. *Wepferus*, amicus veteri familia-

Digitized by Google

miliaritate conjunctus. Monetq; diligentissimus *Schneiderus* l. 2. Catarrh. c. 3. sangvineam apoplexiam luna adolescente, phlegmaticam pauperatâ, ut cum *Firmico* loquitur, sæpius ingruere. Ejusdem *Firmici* est effatum, omnium consensu penè probatum; Lunam si male fuerit collocata, aut spasticos, aut lunaticos, aut caducos facere. Quo spectant σεληνιαζόμενοι in Evangelio. Illustre hujus consensus exemplum alibi à me propositum memini. Vidi enim epilepticam juvenculam, maculis in facie conspersam, quæ pro varia Lunæ phasi & mutatione, variæ apparebant colore & magnitudine.

Sed

Sed sua quoq; incommoda à terraqueo orbe patitur cœlum, quod illius vitia haurit. Vetus doctrina est Peripateticorum, vapores terrestres ad superiores aëris regiones elevari pro Cometarum generatione. At in cœlum remotus, ubi ex observatione Tychoniana Cometes plerique sedem eligunt, efferri exhalationes subjecti orbis, difficilius contingit, unde etiam rarior Cometarum est ortus. Impossibile tamen non est hinc ad cœlorum regionem aliquid permeare, si supponamus cœli expansum ad nos usq; pertingere, aëremq; nostrum esse cœli continuationem, quod, ni fallor, alibi à *Longomontano* nostro, ut alios sileam, demon-

demonstratum. Spongiam imitatur expansum, quæ facili humorum successione per poros omnes impletur, vel sicut pannus vitro aquæ pleno appensus sursim aqua imbuitur universus, sive extra vitri marginem dependeat, sive sursum spectet, quo artificio plantas nostras in hortis irrigamus. Sic cœlum rarum & porosum atomos terrenas imbibit, & successivè pro illarum copia vel sequendi facilitate orbibus cælestibus & continuæ cœlorum substantiæ suggerit. Radii Solis & Lunæ ad nos descendentes ea promptitudine secum vapores, immixtasq; quascunq; atomos attrahunt, qua cœli virtutes ad nos devehunt. Pestilentiæ semina

cœli-

Digitized by Google

cœlitus ad nos transmittuntur. Canis sidus, animal terrestre ad rabiem pronum suis effluviis inficit, quod *Alexander* in Problematis prodidit. Sol vertici nostro imminens æstatem, remotior hyemem ingrata vice reddit, & ibi caloris causas, hic frigoris injurias producit. Luna plena conchyliorum genera implet, cerebrumq; humanum manifesto augmento in vulneribus capitis in rumorem elevat, ut extra calvariam, nisi prohibeatur, se effundat, sive ipsum cerebri corpus, sive sangvis augeatur vasis cerebri contentus. Eadem vià cœlo sua inquinamenta remittit terra, sicut lunæ, &, si credimus *Campanellæ*, ipsis Cometis,

Digitized by Google

umbram. Terra lunam, luna vicinos accolas vel superos incolas inficit, attrahuntq; astramon per fistulam fune demissam, quemadmodum jocatur *Lucianus* in Icaromenippo; sed corporum intermediorum coeliq; fluidi propinqua successione. Heraclii Ephesii olim fuit sententia, teste *Laërtio* l. 9. evaporationes aëris, liquidas reddere flammas in sideribus: Easdemq; in solis circulo inflammatas diem facere, contrariam verò ubi obtinuerint, efficere noctem, paremq; esse æstatis hyemisq; rationem. Antiquata quidem hæc est opinio, quæ tamen concipi animo potest, & suis Heraclitus se probare.

Juvat

Digitized by Google

Juvat impensè hanc communicationem, atomorum levitas ad immensa spatia diffundi sua sponte aptarum. Ad 1000 milliaria propagari sphæram actionis sympatheticæ scribit *Ergeius Mobyus* cap. 6. quam per atomos fieri nemo dubitat. Odorem cadaverum post cruentas clades vultures quandoq; per ducenta vel trecenta milliaria insectari, historiæ gentium fidem faciunt: testaturq; *Kenelmus Digbeus* Comes, Cancellarius Angliæ & Naturæ curiosus, nautas ad unguem tenere, quando triginta vel quadraginta milliaribus ab Hispania absunt, ex fragrantissimo rorismarini odore illinc efflato, seq; ipsum tam validè odorem istum

Digitized by Google

percepisse qvum has oras ter vel quater prætenavigaret, ac si avulsum rorismarini ramum manibus tenuisset, idq; accidisse duobus vel tribus diebus, antequam in conspectum terræ provehe-rentur. In monte Ætna, olim nobis viso, immensam copiam violarum notat *Aristoteles* in Adm. Audit. nostro tempore à copia cinerum oppressam. Illius autem seculo regionem proximam magna suaveolentia replevit, ut venatores cum canes ab odore devincti fuerant, leporum vestigia insectari nequiverint, qui aliàs ad multa milliaria sui heri halitus persequuntur. Promptius autem fumi & vapores sursum per naturam ascendunt, quam

Digitized by Google

quam ad devia, majorq; naturalis facilitatis erit agilitas, si externi motoris sive ventorum impellentium sive cœli exsugentis auxilia accesserint, ut amplissimam sphæram sursum adscendentium concipere animo debeamus. *Galilæus*, quem senem & ferè visu orbum olim in itinere conveni, hac parte difficilem se non præbens, in Dialog. de syst. Mund. inter se repugnare non putat, si credas, materiam Cometarum elementarem esse & nihilominus quantum velint eos elevari posse, non obstante impenetrabilitate cœli Peripatetici, quod ille aere nostro multo tenuius, sequacius, subtilius esse statuit.

Digitized by Google

Non debet expansi profunditas nos terrere, prorsus incerta, quam facilius ignoramus nos, quam sciunt Astronomi. Cœli enim altitudo, terræ profunditas & regum animus perscrutari non possunt, *Prov.* XXV. 3. Hinc furorem vocat *Plinius*, egredi ex hoc mundo, quasi mensuram ullius possit agere rei, qui sui nesciat, aut mens hominis videre, quæ mundus ipse non capiat. Ex nonnullorum tamen computo, milliaria 1741880 & amplius numerantur ab ima terræ superficie ad sphæram ultimam; ut si quis iter annorum 2982. cœlum versus suscipiat, singulisq; diebus octo milliaria conficiat, semidiametrum vix queat attingere.

At

Digitized by Google

At quanquam distantiam acuratè demetiaris, celerrimus tamen est orbium per fluidum expansum cursus, ut totum perimetrum fixæ stellæ, ex veterum hypothesi, spatio diei naturalis percurrant. Vaporibus parem motus celeritatem quis invidebit in sublime elatis? Celerrima ἀκτὶς cœli ad nos, luminisq; cœlestis irradiatio, pariq; celeritate visus noster remota illa corpora assequitur, quem cum *Platone* in Timæo credere fieri ab emisso ex oculis lumine ad externam usq; lucem, qui occurrat, absonum non est, quod alibi, sibi haud satis constans, *Aristoteles* docet exemplo Antifonis, qui deambulando tanquam in spe-

Digitized by Google

culo sui imaginem aut formam in aëre antecedentem conspiciebat, propter visus imbecillitatem, quia oculi Antisonis adeò imbecilles radios emittebant, ut ne quidem ipsum aërem pervadere valerent, sicq; ad oculos reflexi in causa erant cur Antifon suam imaginem videret. Nec inducor ut cum *Manelpho* disp. 20. in l. 2. de Anim. credam Antifontem melancholia laborasse, si quidem is est qui præclare de Veritate scripsit à *Galeno* laudatus l. 3. Epid. Com. 3. Omnes experimur visum longius progredi, & emittere species, quia ex tenebris videmus ea quæ sunt in luce, non item è luce, quæ sunt in tenebris. Et ad fixarum sedem exporrigi

oculo-

Digitized by Google

oculorum noſtrorum lumen inde apparet, quod etiam luna ſilente, ex obſcura nocte ſtellas videamus, quæ noctem prope oculos noſtros neutiquam illuſtrant. In magnis Solis defectibus, ſtellæ nobis apparent, quod etiam ſuis temporibus *Thucydides* l. 2. Bell. Pelop. memoriæ prodidit. Sed & ex profundis puteis ſtellæ conſpiciuntur, potiſſimum quando Sol in meridie non eſt, cujus cauſas alias affert *Galenus* l. X. Uſ. Part. c. 3. Illuc igitur ſi oculorum ἀναθυμιάσεις progrediantur, mirari non debemus, ſi aliis exhalationibus ſimilia evenire concedatur, quæ ſemel motæ, ex legibus mechanicis, deinde facilius longiusq; movebuntur.

Digitized by Google

Concurrunt etiam in coeli expanso ex aliis orbibus cœlestibus effluvia ad novum phænomenon constituendum. Sapientes certè Cometam alium construunt ad medium aëris, sive sublunaris intercapedinis, alium concavo Lunæ finitimum, alium supra Lunam in Mercurii orbe, alium in orbe Veneris, alium alios planetas vel æquare vel superare. Hinc quia undiq; fit exhalationum variarum confluxus, nulla est plaga determinata, in qua Cometæ primum appareant, aut in quam deinceps moveantur, sicut ex collatione annorum 1577 & 1618 demonstrat *Petrus Gassendus*, noster dum vixit amicus. Nuper idem edocti sumus.

Digitized by Google

fumus. Cometa enim prior menſe decembri 1664. in corvi pectore apud nos emerſit, ſigno auſtrino, & modo celeri modo tardo, at obliquo curſu per hydram, navem, canem majorem, leporem, eridanum, caputq; ceti ad arietem progreſſus, deſinere viſus. Alter ſuccedens menſe Martio 1665 à Pegaſo, ſigno aquilonari, ad iter ſolis arietem verſus divertit, à quo tandem ſuppreſſus. Non abſimilia de Cometa concepit *Ariſtarchus* Samius in Syſtemate Mundi, opera *Robervallii* non ita pridem in lucem protracto; quippe gigni partim ab exhalationibus valdè ſubtilibus ex toto ſyſtemate telluris & elementorum ejus extra

ſe

Digitized by Google

se expulsis & intra ætheream regionem nubis instar expansis, partim etiam ex partibus æthereis ab eodem toto systemate attractis atq; iisdem exhalationibus permixtis. Sed his suppositionibus relictis, veriores novus cœli Atlas Amplissimus Gedanensium Consul *Joannes Hevelius* brevi in Cometologia orbi proponet, & à fratre quoq; nostro *Erasmo Bartholino* expectamus. Ego enim Albutii Rhetoris exemplo, quem *Quintilianus* tamen l. 1. c. 6. non obscurum Professorem atq; autorem vocat, de hac causa dico, non quicquid debeo, sed quicquid possum. Quod an verum sit, Deus scit, cui est scientia veri. Nobis, ut eleganter

Sene-

Digitized by Google

Seneca l. 7. Q. N. c. 29. rimari illa & conjecturare in occulta non tum licet, nec cum fiducia inveniendi, nec sine spe. Si abest, non solamen erit.

— ab Æmonio si sim jugulatus Achille.

Μελοθεσία quidem hominum, seu in quæ membra unumquodq; cœli signum jus habet, ad has lineas nō voco, de qua *Manilius* l. 2.

Accipe divisas hominis per sidera partes,
Singulaq; propriis parentia membra figuris,
In queis præcipuas toto de corpore vires
Exercent. Aries caput est ante omnia princeps
Sortitus, &c.

Quia

Digitized by Google

Quia ratio ejus nulla dari potest, & fallax est experientia, quanquam in Almanachis vulgò magnificè pingatur. Hanc insaniam vocat *Leo I.* Papa Decret. Epist. ad Turbium, à Priscillianistis profectam, prodigiosam nempe illam totius corporis humani per XII. signa cœli distinctionem, ut diversis partibus diversæ præsideant potestates, & creatura quam Deus ad imaginem suam fecit, in tanta sit obligatione siderum, in quanta est connexio membrorum. In eo tamen labitur Leo, quod Priscillam authorem statuat, qui vixit *Hieronymi* tempore, seculo Imperatoris Theodosii, qvum *Manilius*, qui aperte ista tradit, Augusti ævo

florue-

Digitized by Google

floruerit, & alii *Firmico* teste l. 8. inprimis priscus ille pater Ægyptius *Necepso* μελοθεσίας, de quibus nonnulla *Jos. Scaliger*, docuerint. Imo eandem sententiam Chaldæis nonnullis tribuit *Sextus Empiricus* l. 5. contr. Mathem. quanquam de sympathia tantum exponat. At cœli in universum hominisq; quendam esse consensum, similiaq; exinde utriusq; esse symptomata, sine insania, dubitare non debemus. Quemadmodum enim in humano corpore, præsertim capite, cui ad amussim cœlum respondet, nævi varii & tumores emergunt, vitio materiæ cujuscunq; malignæ in toto abundantis, qui sua initia habent, augmenta & declinationes,

nes, pro varia materiæ contentæ & caloris conditione varias: Ira de cœlo quoq; suspicamur, collectam undecunq; materiam vitiosam in globum compingi & Solis radiis accendi vel collustrari.

De materia notandum ex suppositionibus, duplicem esse posse, terrestrem & cœlestem, ex utraq; simul concurrente & conjuncta, unum abscessum fieri; cœlestis verò beneficium esse, quod hic abscessus interno calore adjuvante concoquatur & matureſcat, lumineq; illustratus sideris instar splendere possit. Neq; enim accedimus *Aristotelis* vapores pingves sursum elatos à sole accendenti, sed illustrari tantum

tum volumus, alioquin, ut rectè *Campanella* Art. 7. Physiol. cap. 7. non durarent Cometæ ad horæ decimam, sed citissimè conflagrarent, qvum longiora sæpe habeant intervalla, nam annuo spatio fulsit Cometa ante excidium Hierosolymitanum, teste *Josepho*. Per sex menses apud *Senecam* Neronis stella micuit; prior noster duos menses visus, antequam lassatus disparet. Unde ex hac periodo abscessum hunc magnum esse conjicimus à morbo magno universi, non criticum sed symptomaticum, sicut posthæc explicatius dicetur, ideoq; per congestionem factum, qui lentè ad suppurationem tendit, vel tardè dissipabitur. Indi-

Digitized by Google

catq; hæc mora materiam non tam pinguem, quam frigidiusculam ex colluvie quacunq; cœlestium sordium, quæ sensim variis exhalationibus à sole attractis vel levitate sua adscendentibus cænosisq; vaporibus terrenis cum aëris tempestatibus vel alia vi propulsis in tumorem abscessui similem compingitur in loco cœli vel vacuo vel facile cedente, sicut in corpore nostro pars quæcunq; debilior morborum tumoremve injuriis subjicitur. Anomalus quoq; tumor est, si caudam vel crines expansos circumjectosve respiciamus, qui radii non rarò in cancrosis tumoribus variis hinc inde vasis sanguine atro sordidoq; turgentibus comparent.

Digitized by Google

parent. In ſtella crinita plerunq; Soli obverſa eſt cauda, quia reliqvum corpus à ſole illuſtratur, ſicut candela ſævo cœnoſo conſtans, ſi ſoli exponatur, ut radii per illius ignem transeant, caudam repræſentat experimento *Cardani* l. 1. de Rer. Var. c. 1. vel ampulla aquæ plena Soli oppoſita, monente *Campanella*. Aliud experimentum habet *Ariſtarchus* Samius Solis radiis à cryſtallo per pulverem in cubiculo reflexis. Quod in templis majoribus millies vidit accidere Clariſſimus *Robervallius*, cum apto lucente ſole, frequens populus magnum pulverem excitarent, nec eſſe quod Cometæ ſpeciem perfectius referat. Huic con-

Digitized by Google

jecturæ nescio an illi præferendi, qui vel fixam stellam, vel segmentum ex sole seu maculam aliquam solarem, vel ex cœlesti materia compactum globum ignitum eadem suspicione, hoc est, incerta, prodiderunt, partim ab antiquis, partim à seculi hujus Mathematicis passim diverso animorum motu refutati. Nec adhuc alia spes major affulget, verum inquirendi. Unde enim scalas tanta magnitudine Tibi paraveris ut propius intuearis quæ supra nos sit cœlestium conditio. Nam quos novi, Phrygio illi dissimiles sunt omnes, ut conijciamus ab aquila raptos fuisse, quo, nugatorum exemplo, pocillatoris forsan munere in Lunæ orbe

Digitized by Google

orbe fungantur. Scalæ si conficiendæ forent septem singulæ pedum, excresceret numerus scalarum ut à terræ superficie ad fixa sidera pertingant, ad 663428448000, si calculum sequamur *Copernici*, quibus compingendis non sufficerent omnium orbium opifices. Quanquam deniq; beneficio Telescopii tricies aut quadragies propius admoveamur cœlo, *Galilæo* autore; necdum tamen venit illud tempus à *Seneca* tantis votis exoptatum c. 25. quo ista quæ tunc latebant, in lucem dies extraheret, & longioris ævi diligentia. Per tot enim secula nihil vel parum in Cometarum scientia profecimus. *Tycho* quidem noster, æterna

Digitized by Google

memoriâ dignus, Cometas contra Peripateticorum nubes, cœlo asseruit, sed istam fuisse antiquissimam sententiam, priscorum monumenta testantur, qui partim sidera hæc perpetua esse crediderunt, suoq; ambitu ire, sed non nisi relicta à sole, cerni, *Plinio* & *Stobæo* attestantibus, vel Planetas esse vel stellas errantes, quæ Mercurii instar multum sub solis radiis lateant, infrequenterq;, nec diu compareant, quam sententiam Pythagoreis, Hippocrati Chio & discipulo ejus Æschylo attribuit *Aristoteles*, à quibus non multum dissidebat Epicurus apud *Laertium*, l. X. nisi apparitionis modo, quod cœlum per varias vices motionem

Digitized by Google

nem quandam propriam, qua parte nobis imminet, subeundo, astra hujusmodi manifestet. Ex Planetis esse certus est *Marcellus Palingenius* in Aquario l. II.

Illos stella facit de septem errantibus una,
Dum sibi subjecto radios impressa vapori,
Assimulat caudam, lumenq; in nube relinquit.

Albategnius certè testatur, Cometam suo tempore deprehensum in orbe Veneris. Ut seculorum omnium observationes cum nostris si conferantur, causa nulla sit, cur non cum *Terentiano* sene, auditis variorum advocatorum in filii negotio sententiis pugnantibus, aperte profitear:

Digitized by Google

incertior ſum multò, quam dudum. In tanta igitur incertitudine incertiſſimarum conjecturarum & ſuppoſitionum, qui optime conjecerit, optimus Vates eſto. Nos ſepoſitis reliquis quæ de cauſa abſceſſuum cœli, nempe univerſi morbo, & differentiis illorum, quæ ratione magnitudinis, coloris, durationis & cauſarum diverſarum variæ ſunt, ad ſolum prognoſticum properamus, de quo anxia eſt mortalium plurimorum exſpectatio, plerisq; formidine perculſis mala ſeqvutura timentibus.

Nolo ego mortalibus blandiri, aut palpum obtrudere, quanquam ſi verba dare vellem, aut conſcientia oppreſſa, quæ cuiq;

Digitized by Google

cuiq; meritorum ſuorum eſt teſtis, ſplendida vaticinari, nihil aliud agerem, quam Medici, qui ægros conclamatos, viſis ſignis lethalibus, bona ſpe ſolantur vel decipiunt. Nam, ex præmiſſis concluſionibus, affectusq; publici eſſentiâ mente nuper concepta, ignes Cometæ nuperi cœleſtes pro benefico omine interpretari non auſim. Malum enim credo, ratione cauſæ, & ſigni. Ratione cauſæ, quia apoſtema hoc cœleſte ex pravis univerſi excrementis collectum, præſertim ex vicinis Corvo orbibus vel ſubjectis terris, in quo aſtro primum prior hujus anni Cometa apparuit & conflatus creditur, & ex Pegaſi incolis, ubi alter nuperrime luxit

Digitized by Google

quando ad ſuppurationem vel quamcunq; reſolutionem & rupturam vergit, fœtidos halitus pusq; noxium ex ingenti machina eructatur diffundendum ad vicinos ſibi orbes & ſubjectas plagas, inprimis Arieti amicas, ubi ille prior deſinere viſus, & quo alter concitato gradu progreditur, quanquam immunitatem ſibi alii orbes & terrarum loca ſpondere non poſſint, quæ diurno curſu reſpicit, ſenſim enim in itinere imminuitur, antequam prorſus diſpareat, & atomos malignas omnibus partitur quorum verticem pertranſit. Aer terræ continuus animalia inficit, piſces, prata, & arbores, quibus veſcimur, ſicut candela extin-

Digitized by Google

extincta fœdo sævi odore, & ruptum apostema tetro halitu adstantes offendere solet & inquinare, ut etiam abortum subinde patiantur quæ uterum gerunt. Si quidem autem qualitas hujus tumoris rupti vel suppurati nobis ob viarum distantiam ignota, nescii an calida sit tenuisq; vel crassa, incertum etiam prognosticum manet, an calore subjecti incolæ vel siccitate, vel torpore sint mulctandi. Si calore æstuant corpora, febres accenduntur, si ægros agrosve siccitas infestat, sterilitas, annonæ charitas hos, illos tabes & hectica consumet, si à crassitie, vel frigido veneno torpor inducatur, insidiis Politicorum

Digitized by Google

rum militumq; arcanâ ſua habentium, erimus obnoxii. Ita cauſæ ratione, quam variam concipimus, diverſum prognoſticum medicum elicimus. Malum quoq; eſt hoc cœleſte phænomenon, ut ſignum, quia & ſe & univerſum, putidis ſcatere humoribus indicat, quibus evacuandis non unus abſceſſus ſufficit. Circulationem hic quandam concipimus, mutuumq; malorum inter cœlum & nos commercium deploramus. Fæces enim noſtras nobis ſidus crinitum remittit, & apud nos velut ad cloacam excrementa ſua deponit. Hunc autem cœli abſceſſum duplici nomine malum dicimus ex ſententia Medicorum, non tantum

Digitized by Google

tum quod minor sit morbo qui per hunc terminari debebat & judicari, adeoq; insufficiens expurgandæ universæ materiæ in universo peccanti; sed & quod ad interiora revertatur contenta materia. Prioris damna experta est Neptis Temeni apud *Hippocratem* l. 2. Epidem. cui abscessus ex morbo forti ad digitum decubuit, qui cum non sufficeret ad susciendum morbum, hoc est, ad susciendam totam morbi causam, sicut præclarè explicat *Valleſius*, recurrit, & mortua est. Recurrit igitur & abundans prioris Cometæ, cui Corvus natales dederat, illuvies, & novæ in Pegaso generationi cessit. De altero abscessu *Coi* extat oraculum

Digitized by Google

lum Coac. 365. si evanescat neq; in exteriores partes conversum sit, neq; ista diebus judicatoriis contingant, perniciem denunciare. Clarius ad rem præsentem *Coac.* 281. ex tumoribus mortem magis afferre, quicunq; intro rumpuntur. De erysipelate eadem sententia repetitur 6. *Aphor.* 25. quod & de alio quocunq; affectu decernit *Galenus*, quem ex profundis & principibus partibus ad cutem traduci, & bonum signum, & bonam causam esse existimat, contra verò ad internas & profundas corporis partes remigrare, malum. De priori Cometa sperare non possumus, dissipatam fuisse aut extra cœli extrema in Utopiam rele-

Digitized by Google

relegatam materiam ſuppuratam. Extra cœlum vel hoc ſyſtema, locus excipiendis malis non eſt. Nec in nihilum redigitur quod aliquid fuit. Hinc circulatione quadam ad nos remeat malum, vixq; ſenſibili meatu per orbem noſtrum magno noſtro damno ſe diffundit. Hoc modo mala portendit Cometa, ut ſignum, & ut cauſa.

De decretis ſtellarum non mediocriter doctorum olim fuit conſenſus, ſignificare tantum, non cauſas eſſe nec facere, eſſe nempe cœlum velut apertum quendam librum omnia futura in ſe ſcripta continentem, & ſtellas tanquam literas eſſe quæ vel ſcribantur aſſiduè, vel jam conſcriptæ

Digitized by Google

ſcriptæ explicentur, qua ſimilitudine utitur *Plotinus* Platonicus l. 3. Enn. 2. & ex Patribus Chriſtianis nonnulli; quod forſan ex *Eſaia* depromptum c. XXXVII. *complicabuntur cœli ſicut liber*, quem textum nonnulli ad futuras è cœlo prædictiones & decreta ſtellarum trahunt, invito Vate, cujus contrarius potius eſt ſenſus, nempe cœli beneficia quæcunq; denegatum iri gentibus clauſo cœlo, ſumpta ex librorum veterum complicatura ſimilitudine, qui olim uno folio ſolo expanſo & explicato conſtabant, quod ſpiræ inſtar complicabatur, unde plexiles libri *Solino*, & volvebatur, unde volumen, à volvendo *Iſidoro* l. 6. c. 13. quale etiam in Syna-

Digitized by Google

Synagogis Judæorum vidisse me memini. Revera autem stellas non tantum decernere, sed & facere, experimur omnes. Lunæ effectus tam sunt noti in conchyliis, in capitis vulneribus, &c. ut negari non possint. Esse & signa Moyses docet *Genes. I.* Quarum autem rerum sint causæ & signa pronuper diximus. In cæteris cum *Augustino* l. V. de Civ. Dei c. 1. quærimus: Quale judicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cœlestis necessitas adhibetur, cum Dominus ille sit & siderum & hominum? Quemadmodum ergò cœlestes orbes bona decernunt & efficiunt, quia naturales sunt cœli partes; ita Cometa inter bonorum signa

Digitized by Google

& causas numerari non meretur, quia præter naturam ex alienis exhalationibus & effluviis in quacunq; mundi plaga enatis conflatur, & in elegantissimo cœlo deformis est nævus, vel apostema sordidum, quod raro visitur, semperq; Dis nascitur iratis. Quanquam deniq; naturalis esset cœli affectio, quod difficulter persuaserint Mathematicorum filii, quia perpetua non est: à siniſtro tamen omine absolvi non potest, quia rarius comparet, lucidaq; habet intervalla. Et naturalibus rebus pro signo Deus subinde utitur sive in solatium, ut de iride notum, sive ad futurorum præsagium, quale ex sole, stellis, mari &c. ultimi excidii

Digitized by Google

cidii augurium capitur *Luc.* XXI. Tumor autem morbosi corporis, quem primo vidimus in Corvo, solus non est, sed vel socium vel successorem ex Pegaso sibi adscivit, quanquam contrario motu uterq; progressus sit. Hinc, sicut jam ante monui, quia universa materia morbi per abscessum unum expurgari non potest, & morbi magnitudinem & difficilem eventum præsagimus. Copia enim strumarum ægrum impurumq; corpus prodit. Vidi nuper magnum Virum, cui molesta sub mento struma diu propendit, præter alia tubercula hinc inde thoracem deformantia. Benè de optimo Viro sperare nemo potuit, quanquam

Digitized by Google

sanitate digno, quia in ætatis declinatione versabatur, nec finis tuberculorum apparuit, frovis semper & sub alis & in facie, & in buccis repullulantibus; ut tot novis exauctus, thymoq; tumido, à suffocatione parum abesse mihi visus sit qvum officii causa veterem amicum nuperrimè inviserem. Feminæ vicinæ lectissimæ, similia tubercula timorem injecere, quem ætas juvenilis & manus medica partim ferro magnitudine insignem ventris tumorem resecando, partim materiam internam medicamentis evacuando, sublevarunt. In utroq; ægro morbosum corporis habitum significabant tubercula. Cur de cœlo dubitamus?

Digitized by Google

mus? quod ægrotare forsi? duplex sibi hoc anno succedens Cometes monstrat. Duplicem enim esse ex observationibus nocturnis fidem nobis fecit frater *Erasmius Bartholinus* cœlorum peritissimus, quia contrariis motibus feruntur. Duos tamen simul vidit *Jul. Cæs. Scaliger* Exerc. 79. §. 1. alterum matutinum, alterum vespertinum, multis diebus, diversa latitudine. Et Anno 1618. paulo ante ultimi Cometæ exortum, duo alii Cometæ magis monstrosi apparuerunt, in iisdem penè cœli plagis, de quibus videndi *Jo. Keplerus* & *Longomontanus* noster cap. 12. de Nov. cœli Phænom. Cur ergò hic morbum universi spernimus vel non agno-

Digitized by Google

scimus, ex quo noster fomenta recipit. Sunt nobis commercia cœli. Quemadmodum enim in nævis, tumoribusq; corporis ea est proportio & situs analogia, ut viso tumido vel affecto loco externo, de internis judicium prudens Medicus faciat, ita cœli tumores præternaturales tam homines quam locum in quo degimus designare possunt. Nævus in frontis medio, alium in medio pectoris vel dorsi prodit, nævus in extrema fronte, similem in humero indicat, quemq; situm in naso habet, eundem in pene viri, vel vulva mulieris occupare signat. Genæ coxis respondent, aures brachiis & lacertis, concha auris volæ manuum,

Digitized by Google

num, labium perinæi locis, & sic consequenter, ut facilè divinare liceat viso tuberculo in capite, quam partem in subjecto quoq; corpore occupet simile tuberculum. Ita manu inspecta conjecturam de universo corpore facimus: in manu enim & facie reliquarum partium omnium est signatura & compendium. Hoc verum est Physiognomiæ & Chiromantiæ fundamentum. Respicit enim indicem digitum hepar, cor annularem, lien pollicem &c. sicut faciei cum inferioribus consp irationem esse diximus. Illius consensus rationem naturalem exposuit non ita pridem Dominus de la *Chambre* Medicus Gallorum illustris, hujus

Digitized by Google

verò *Ludovicus Septalius* post alios veritatem fusius persequitur. Pari ratione cœli ceu capitis phænomena subjecti mundi terrei vicinorumque orbium partes respiciunt, affectusq; ostendunt similes, ex quorum inter se comparatione divinationis species oritur. Proprium pulmonis læsi signum *Hippocrati* est genarum rubor in *Coacis*, quod de uxore Polycratis tussiente, & febriente cognata Theoclis, aliisq; l. VII. *Epid.* annotatur. Pulmonum Calori id adscribit *Galenus* Comm. 2. in Progn. & tussi, hæc enim ambo calefacere vultum & totum caput, quia ex defluxione in pulmonem decumbente vapores in ipsum redundant,

Digitized by Google

dant, & in facie propter angustiâ venularum subsistunt, ex conjectura *Dureti*; quanquam alia conspirationis harum partium sit inquirenda ratio; Quicquid sit, ut genarum rubor pulmonis vitium, ita insoliti cœlorum ignes spiritalium nostrarum partium damna patefaciunt vel præsagiunt, de quo prognostico amplius vix verbum addam, ne longior sim; Dei potius misericordis hæc omnia dirigentis clementiæ debito cultu à nobis excipienda, ne ingrati animi pœnam hæc prodigia portendant.

Sinistros eventus prædicere, ratio præteritorum temporum expensa imperat. Recte stamus

Digitized by Google

cadimusq; experientia, quando cauſæ vel dubiæ ſunt, vel prorſus ignorantur. Recurramus in præterita, & eventum plerisq; noxium fuiſſe experiemur, quorum tam prolixum catalogum contexuerunt nonnulli rerum periti, ut illis reſumendis pauci dies non ſufficerent. Illorum tantum exemplorum memoriam revocabimus, ex quibus fauſta & felicia ſibi & orbi tranſcribunt qui præ cæteris cordatiores videri volunt, quiq; cum Veſpaſiano apud *Xiphilinum*, non ſibi cometen portendere jocantur, quia calvi ſint. Alexandro Magno naſcituro Cometa præfulſit, magnarum in orbe mutationum, cladiumq; & rapinarum publicarum

Digitized by Google

rum prænuncius. Illi quidem nomen Magni præfagit, ſi ex ſolius hominis vana gloriola & inconſtante, publica felicitas æſtimanda, tot mille hominum innocentium infelicitate quæſita, quorum potius interitum & Darii potentiſſimi exitium Cometam illum naſcente Alexandro fulgentem præſagiiſſe interpretor. Fututam Mithridatis amplitudinem etiam cœleſtia oſtenta prædixiſſe creduntur *Juſtino*. Nam & quo genitus eſt anno, & quo regnare cœpit, ſtella Cometes per utrumq; tempus ita luxit, ut cœlum omne conflagrare videretur. Sed vel miraculoſum hoc fuit phænomenon, quia magnitudine quartam cœli partem

Digitized by Google

ferrur occupasse, & fulgore nitorem Solis vicisse, præter aliorum Cometarum naturam: vel infelicitati subseqvuturæ classicum tyranno cecinit, quam Sulla, Lucullus, Pompejus, carcer, venenum, percussor quæsitus, tandem accelerarunt. Vanam credo fuisse Octavii Augusti expectationem, cætera non infelicis, qui visum sidus crinitum pro sua salute cacitè accepit, quod Julii in curia nefariè à conjuratis trucidati sidus erat. Nec id publicè dissitebatur. Salutare appellat *Plinius*, verius dirum *Virgilius*. Janum quidem clausit Augustus, sed cruentis spoliis suspensis, & multis funestus, quos *Svetonius* recenset. Neq; enim semper illi for-

Digitized by Google

fortunata amica aspiravit, qui post eladem Varianam per continuos menses barba capilloq; summisso, caput foribus illisit. At quamquam aversus esset à sacris Judæorum, ut Cajum nepotem collaudaverit, quod Judæam prætervehens, apud Hierosolymam non supplicasset, meruit tamen mite sidus, quia eo imperante mundi Salvator *JESUS* nasci voluit, & benignè literatos fovit. Ipsum autem malignum Julio sidus, ad novum Octavii principatum minus rectè transfertur. An etiam Cometam, qui Neronis imperio præluxerat, inter felices recensebimus? an generi humano ex monstro illo fausta augurabimur? *Seneca* quidem, domi-

Digitized by Google

domini sui in gratiam, fortunatum vocat, qui felicitate sua detraxerit populo infamiam Cometarum. Sed læti initii spe deceptus suo exitio triste fulgentis stellæ augurium expertus est, ut plus mali ex hujus Viri fato portenderit sidus crinitum, quam ex Neronis fortuna bonis inimica, boni. Felices alii Cometæ decantantur: Justiniani Senioris ævo, Cometen repente cœlum dedisse, moxq; Duce Narsio innumerabilem Gothorum multitudinem ex omni Italia fugatam: duos Cometas Ann. Chr. 725. in cœlo alternantes Carolum Martellum Regem Galliarum de Saracenis triumphaturum prædixisse: Præcessisse quoq; stellam crini-

Digitized by Google

erinitam Caroli V. & Ferdinandi Auſtriaci victoriam contra Turcas An. Ch. 1530. Sed qui bellum prædicit, malum per ſe pronunciat eventurum, ſi triumphus ſequatur, non ovatio. Aureo alias hamo piſcatur, qui civium ſuorum capitibus hoſtes mercatur vincive. Cometa pugnam prænunciat, ſed pugna alterutrius partis victoriam, quam prædicere non poteſt Cometa. Mala autem quæ pugnando eveniunt, etiam victoribus, mala ſunt præſentibus, iisq; numero pluribus, quanquam tandem felicia inde emergant, & prodeſſe poſſint ſeqvuturis. Extra pugnam, militaris licentia vagatur, etiam in propria viſcera ſæviendo.

Digitized by Google

do. Quotusquisq; est, qui cum Valeriano apud *Vopiscum*, manus militum contineat; plerique enim aliena rapiunt, segetem atterunt, pullos rapiunt, uvas decerpunt, pauci, forsan nulli, de præda hostis potius quam de lacrymis provincialium vivunt; summa; nullum bellum bellum. Cometen A. C. 1238. Eduardo Primo Regi Anglorum & populo Anglicano felicitatem monstrasse, vulgo creditum affirmat *Polydorus Virgilius*, sed reclamantibus Danis nostris, quibus Edwardus Merciæ Provincias extorsit. Ad nostrum seculum si recurramus, Cometes crebrius fulgentes, nunquam innoxie visi. Pestis sævissima terris incubuit

post

Digitized by Google

poſt Cometam A. C. 1618. cœlo oſtenſum, cui diuturnum bellum Germanicum inſeqvutum, Cæſari & Imperio grave. Ingenio ſuo abutitur & eloquentia *Vincentius Guinisius*, qui Alloq. Gymnaſt. VI. ſalutare potius ſidus & fauſtum quam triſte nominat, cum Bohemia omnis ſedata & à rebellionibus vindicata: nam exercuit illa ſeditio univerſum imperium & vicina regna, ſecumq; in ſocietatem calamitatis traxit ter centena millia hominum, illosque tandem exitus habuit, ut non tantum fierent quæ victores voluerunt, ſed etiam, ut iis nos ſit geſtus quibus adjutoribus parta eſt victoria, quemadmodum de civilibus bellis loquitur

Digitized by Google

Tacitus l. 1. Hist. Micuit & A. C. 1652. crinitum cœlo nostro sidus, pari contagii pestilentis & bellorum in Polonia, Dania &c. infelicitate.

non unus crine coruſco
Regnorum everſor rubuit lethale cometes.

Tertius obſcurior fuit A. C. 1661. necdum confeſſo apud nos damno nobilitatus, quanquam aliter Pannonia loquatur. Sed ratio hujus aliorumq; , qui ſalutares, vel non noxii feruntur, ex materia petenda, quam in loco adduximus. Quia enim noſter ille nebuloſior fuit, materiæ diverſitatem incuſamus, quod benignior fuerit, vel quod diſſipata materia, qua conſtabat, ad noſtrum

Digitized by Google

ſtrum hæmiſphærium pertingere nequiverit. Ita inter tumores noſtros, alii parvi & benigni, nullo contagio infenſi, maligni alii, qui vicinis ſcabiem ſuam communicant. Ipſe *Proclus* in Paraphraſi *Ptolem.* l. 2. c. 10. Cometas aliquos Martis & Mercurii naturæ reſpondere confirmat, & ea prænunciare quæ iſtam ſequi conſueverunt. At diverſi ſunt Martis & Mercurii effectus, ut Mercurii benignioris vis ſe exſerere poſſit, quando Martis truculentia quieſcit. Mercurialis enim cœruleus eſt, parvusq;, Martialis vero, ruber & magnus. Neq; Deo noſtro difficile, fatum Cometarum, quando piis precibus exoratur, in melius vertere.

Digitized by Google

Morti enim eripit & exitio destinato, mutata in misericordiam ira, si supplicia vota miserint mortales, major illo Jove fictitio apud *Homerum* querente, quod Sarpedonem filium à morte contra fatum eripere non posset.

Causam igitur Dei deserere videntur, qui fide ostentorum horum elevata, vel suppressa, hominibus religionem eximunt, immemores senis Vejentis apud *Livium* l. 5. qui prudenter Senatui Romano persvasit, etiam tacendo quæ Dii immortales vulgari velint, haud minus quam celanda effando, nefas contrahi. Quanquam enim habeamus Mosen & Prophetas, rectè vivendi & credendi magistros; tanta tamen

Digitized by Google

men est Dei erga nos clementia, ut etiam per signa, quæ à causis secundis dependent, & necessariò eveniunt, tanquam aliud agendo, submoneat, ut tela prævisa minus noceant, & ut agnito morbo, universiq; dispositione morbosa, quam crebra cœli apostemata indicant, ægrotare nos tam animo quam corpore videamus & fateamur. Quippe nos, à vera pietate & fide pene alienos, velut Paganos hac ultima mundi senecta tractat Deus, quia Mosen & Prophetas vel contemptu pietatis, vel vitiis quibus immergimur, negligimus peneq; ignoramus, signis cœlestibus naturæ non adversis, præter naturam tamen genitis, nos nostri officii

Digitized by Google

severè monet. Sic olim Paganis Judæisq; fidem Christianam nascentem his similibusq; prodigiis commendavit, qui verbis Sanctorum non movebantur. Majores nostri in Dania ad fidem Christianam à Poppone, religioso Pastore, conversi à *Saxone* nostro feruntur per candentem ferri laminam chirothecæ formam habentem, cui sine ullo ustionis damno brachium cubito tenus inseruit. Multa etiam nunc miracula fiunt, seu insolitarum rerum ostenta, Dei voluntatis indicia. His animum advertere convenit, quia talia eventura ipse *Christus* prædixerat ante fatalem vel urbis sanctæ vel orbis profani ruinam. Nolo in dictorum fidem signa in

Sole

Digitized by Google

Sole & Luna & Stellis repetere frequentia. Quibus fangvis, ignis & vapores fumi adduntur *Joel.* 2, 30. Moveant nos virtutes cœlorum, quæ *Matth.* XXIV. 29. & *Luc.* XXI. 26. instar fluctuum maris movebuntur, h. e. à pristina constantia & sanitate deficient, corruptioni & ulceribus obnoxiæ. Pleriq; enim olim Cometæ in aërea regione, quo loci eos collocat *Aristoteles*, nostro verò & superiori seculo ferè omnes cœlum invaserunt & fluctuare jusserunt; Quæ enim sit Cometula quam lunæ magnitudine in infima aëris regione vidit *Borellus* C. 2. Obs. 80. ignorare cogor, quia diem non addit, nec Consulem. Olim tam rari, ut

Digitized by Google

Aristarchus Samius testetur, non nisi unum conspicere sibi vix adolescenti licuisse. Nobis verò sex visi sunt hoc seculo, ultra medium vix provecto. Hunc sensum credere possumus incerti istius fluctus orbis interitum prægressuri, quanquam & de vera aliqua cœli siderumq; concussione & dislocatione, unde vacuus locus pro Cometis, accipi possit verbum σολεύειν, qua utitur *Hippocrates* noster l. de Artic. de femore utroq; suo articulo emoto, quod inter ambulandum hac & illac jactatum quasi fluctuat, & in articuli civitate alienæ materiæ locum facit. In mundi fæce mergimur, & vate Christo Deum multi ignorant, ut non sine urgente

Digitized by Google

gente causa ad miracula etiam naturalia amandemur, quibus Pagani se passi sunt persuaderi, ut Deo pareamus,

Exæquentq; fidem cœli mortalia corda.

Joannis Sarisberiensis l. 2. cap. 13. Policrat. est judicium: divinæ miserationis esse, quod signorum suorum indicio ignorantiam nostram quandoq; præmuniat. Omninò laudanda hic pietas Caroli Magni, quem ferunt Annales, viso Cometa, attonitum cum Eginharto disseruisse, principis evocari vitam: cumq; is ne tristitia Imperatorem afficeret, *à signis cœli nolite timere*, ex sacro codice protulisset; non alium timere debemus, dixisse, nisi qui

Digitized by Google

nostri & sideris creator est; sed ejus clementiam laudare tenemur, qui nostram inertiam talibus admonere dignatur signis.

Invasit hic Cometarum contemptus etiam veterum nonnullorum animos. *Ceremon* Philosophus Stoicus, cujus mentionem facit *Origines* lib. 1. contra Celsum, edito in vulgus volumine Cometen tanquam felicitatis indicium laudavit, quod paradoxum per variorum annorum historias deduxit. Sed verè *Lactantius* l. 2. Orig. Err. c. 3. multos philosophorum religiones sustulisse, verum autem scire, divinæ esse sapientiæ. *Origenes* quidem laudato loco, suppositionem istam amplectitur, sed ut ad pium usum ver-

Digitized by Google

vertat. Stellam enim Magorum Cometam vocat, quæ adventum Regis in orbe summi prænonuit, in qua opinione nonnulli adhuc sunt, dubitatq; *Gesnerus*, an argenteus fuerit, clarissimus & purissimus Cometa, minimè terribilis. Certe de tali candido Cometa scribit *Plinius* l. 2. c. 25. specie humana Dei effigiem in se ostendere, nisi nos fallunt codices: Verius alii singulari à Deo creatæ stellæ annumerant. In quam rem dignus est *Chalcidius* qui audiatur Comm. in Timæum Platonis: Est quoq; alia, inquit, sanctior & venerabilior historia, quæ perhibet, ortu stellæ cujusdam, non morbos mortesq; denunciatas, sed descensum Dei vene-

Digitized by Google

venerabilis ad humanæ conservationis, rerumq; mortalium, gratiam. Quam stellam cum nocturno itinere suspexissent chaldæorum profecto sapientes Viri, & considerationè rerum cœlestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortũ Dei: repertaq; illa majestate puerili veneratos esse, & vota, Deo tanto convenientia, nuncupasse. Magnificum sane de stella insolita testimonium Viri ingenui, qui abhinc annis 1275. vixit, de quo meritò dubitamus cum *Augustino Justiniano*, Episcopo Nebiensiũ, Hebræusne fuerit, an Christianus.

Sextus Philosophus l. 1. Pyrrh. Hypoth. hic mavult πάσχω, ratione addita, quia attonitos nos red-

Digitized by Google

reddat cometa, quod rarò appareat: Solem quippe majorem obstupefaciendi vim habere quam stellam cometam, sed quoniam solem crebro videmus, rarò autem stellam cometam, hanc ita nos attonitos reddere, ut eâ portendi etiam aliquid à Diis putemus; at solem non item. Verum pace sceptici, attonitos nos reddit Cometa, non tantum quia rarò fulget, sed quia præter naturam congeritur, sicut morbosis quibuscunq; symptomatis dubia spe afficimur, quod naturæ laborantis sint indicia, nobisq; sanitatem dubiam reddant. Sol autem perpetuum sidus, perpetuam causam habet, cujus etiam defectum pro sinistro augurio interpreta-

Digitized by Google

pretamur, ſicut rarò Eclipſis profutura nobis præſagit: nihil enim ſubtracto ſolis lumine ſalutare terrigenis evenit.

Alii ſolatio Patrum Chriſtianorum acquieſcunt, quorum nonnulli Cometas ex cœli ſpiritu à Deo frequenter creari profitentur, ut ſint præſagia felicitatis Deiq; in homines benevolentiam prodant. Sed advertere velim credulos, Patrum piorum ſolatia non tam temporalem felicitatem Chriſtianis promittere, quam æternam. Rarò enim veteres Chriſtiani tranquillitatem poſſidebant, niſi animo, nec felicitatem, niſi in Dei fiducia. Benevolentiam igitur Dei in maximis etiam ærumnis pia mente de-

præ-

Digitized by Google

prædicabant, quam ex prodigiis æstimamus, qvum omnia piis in bonum finem cedant. Tandem inertissimarum anicularum in cinere domestico versantium religionem hanc pleno ore exsibilant qui supra vulgus sapere volunt. *Tacitus* quidem l. XIV. Annal. populum autorem famæ facit, quam obtinuerunt Cometes, & *Suetonius* in Vita Neronis de sidere crinito apud Romanos fulgente, narrat; vulgo putari summis illud potestatibus exitium portendere. Ego quidem pro ista vulgi credulitate non intercedo, quanquam Deo nec novum nec impossibile sit, signo isto uti ad præsagiendas mutationes publicas, aliterq; non tantum

Poëtas,

Digitized by Google

Poëtas, quos, ſuſpectæ fidei repudiant, ſed rerum prudentes exiſtimaſſe graviſſimi Hiſtorici *Herodotus* l. 6. de Chiis ab Hiſtiæo victis, & *Thuanus* in Hiſt. Gall. teſtentur: modo mihi veritatis jure concedatur, novum cœli affectum, à quacunq; cauſa oriatur, ex aliena materia conflari, quæ emenſo durationis tempore vario, pro varia materiæ conditione, abſumatur vel diſſipetur, qvumq; cœlum undiq; nos ambiat, noſtroq; aëri ſit continuum, imò ſympathia quadam corpus humanum reſpiciat, tacitaq; conſpiratione huic copuletur, poſſe vel naturali deſcenſu vel vi ventorum vel influentiis occultis ad nos deferri inquinamenta

Digitized by Google

menta & excrementa copiosa extincti sideris tumore alieno infecti, variosq; in nobis caloris siccitatisq; effectus, unde febres sequutæ sunt Cometam primum & præcesserunt, vel terræ gremio sterilitatis causas communicari, quorum omnium damna ad magnos minimos & medioxumos spectent. Quod de nostris effluviis à cœlo haustis dicimus, de suis globis cœlestibus audacter pronunciat *Guilielmus Gilbertus* lib. 3. Physiol. nov. c. 7. fieri videlicet Cometas tanquam generali in æthere recessu: qui cum zyzygiis compingantur, contrariis rursum motibus dissolvantur diffluantq;; atq; si in terram delabantur partes ullæ, aut vim ventorum

Digitized by Google

torum ingentem, aut ficcitates magnas insequi solere. Planetas autem fundere & dimittere suas substantias, in Luna manifestum sensibus nostris esse, mediantibus ejus spiritibus, qui apud nos incorporantur. Ita si ex perpetuis orbibus inferiora afficiantur, quid mirum si ex fluxili Cometarum corpore resoluto ad nos nostraq; domicilia terrena, superiorum serpat contagium, ex quo tandem nihil præclari sperare possumus. Abscessus enim iste cœli, si sic loqui liceat, symptomaticus est, non criticus, quippe morbum pro causa, non naturâ agnoscit. Morbus vel penes nos fuit, vel vicinos cœli orbes. Natura sibi neutiquam relicta fuit, alioquin

Digitized by Google

quin ſidus evanidum non produxiſſet, ſed coacta à copia & materiæ qualitate, exitũ locumq; quærente. Nec critico die ortus, quia nulla præceſſerunt ſigna ſalutaria, ſed æſtas calida & cadaveribus Thracum noxia, autumnus humidus, hyems gelu aſpera. Non deniq; cum univerſi euphoria luxit, quia ingens nivium copia terras occultavit. Hinc ſiccitates ſecuturas timemus poſt tot pluvias nivesq;, quales per tres annos Cometam A. C. 1572. ſeqvutæ memorantur. Et nivium mora immodeſtæ hyemis pabulũ jumentis denegavit, quæ catervatim nuper magno agricolarum damno occubuerunt, unde & frugum egeſtas & orta ex eo fa-

Digitized by Google

mes metuenda, partim quod ſiccius cœlum, ſegetes deſtituat, partim quod inculti agri quieſcere cogantur. Inter homines hac hyeme & vere inſtante, Comera fomenta ſuggeſſit febrium, & dolorum lateris, quo non pauci ad plures abierunt, & crudorum humorum proventu inconcoctis adhuc conſiliis in Europæ detrimentum pectora inquietorum inflammavit. Hæc ſunt folia quæ videmus, providendum ne in nos cadant arbores. Nam quod inter peſſima ſigna habendum, omnia per abſceſſum ſymptomaticum evacuari mala non potuerunt. Nova cottidie ſuggeritur tumoribus materies, hinc non unus per vices

Digitized by Google

vices hisce mensibus Cometa, sed ex nonnullorum calculo, tres, minimum duo fuere, quorum ultimi extinctionem necdum vidimus, nec forsan videbimus, quia ad signum arietis properans à sole absconditur, fortassis aliàs alibi emersurus. Desinant igitur sanitatem præsagire ex corpore ulceribus scatente, quod per tot abscessus expurgari non potest, nec expiari. Discant plus hic in recessu latere, quam nudam infortunii sollicitudinem. Sciant cum *Socrate* apud *Xenophon.* l. 4. Mem. nunquam à consilio divino destitui illum, qui sciat, quibus indiciis Deus hominibus aliquid significat.

Digitized by Google

Vim omnem prodigiorum cœli eludere audio ſubtiliores, interq; eos principes *Jul. Caſ. Scaligerum* Exer. 79. n. 2. *Petrum Gaſſendum* in Meteorol. Epicuri, quos omnium loco adduco, quod multa ſimilia mala quæ nos Cometis adſcribimus, ſæpe eveniſſe certum ſit, ſine ullo Cometæ indicio. Sed magni hi Philoſophi non meminerant, unius effectus plures eſſe poſſe cauſas, quod à Medicis commodius didiciſſent. Ut enim in eadem linea, quam duximus, maneamus; febres accendi poſſunt, à cauſis variis tam externis quam internis, peſtilentia quoq; interdum cœli vitio, nonnunquam per contagium, quandoq; per venena propagatur,

Digitized by Google

tur, quod nefas à Judæis in Italia tentatum, interdum Dei solius ira, non raro per vermes. Siccitatem à frigida causâ fieri hyeme experimur, æstate à calida. Infinita exempla in hanc rem afferri possent, nisi operæ parcerem & labori. Pauca verba sufficiunt, quando de veritate loquimur. Reliqua sesamo & papavere aspergimus, vincendusq; est Fabius loquax. Favorem seculi si aucuparer, possem splendida auguria & felicia terrarum Dominis & incolis ex Cometarum frequentia captare. Si enim boni sunt, bonaq; portendunt, bonitate & felicitate excedent si sæpiùs recurrant. Si fausta omina placent, ad summos potius

Digitized by Google

Terrarum Dominos, quam Tussitarum Prætorē publici ominis felicitas spectabit. Inter orbis Christiani Principes Principem locum occupat Augustus Germanorum Imperator, LEOPOLDUS Primus, qui tanquam *Leo Pollens* virtute & consilio, nuperrimè profligato ad Leuentiam Thrace, pace procurata triumphabat. Corvus olim Augusto post Actiacam victoriam inter publicas gratulationes edoctus dixit: *Have. Cæsar. Victor. Imperator.* Idem Leopoldo cœlestem Corvum acclamasse sidere lucido fingi potest, egoq; pluribus officiosis verbis Augusto gratularer, nisi Augusti ad similia edoctum corvum responsio silentium faceret: *Satis domi*

Digitized by Google

domi salutatorum talium habeo. Aliud eidem fax in cœlo accensa præsagire poterat, nempe Augustas cum Hispanica Infante nuptias, felicibus avibus celebrandas. Faces enim nuptiis veteri ritu adhibebantur, quas Poetæ tædas geniales vocant, & in cœlo ignis nuptias designat. Hinc de præsagio nuptiarum inter Æneam & Didonem *Virgilius* l. IV. Æn.

--- fulsere ignes, & conscius æther
Connubii,

De quo videndus *Petrus Nannus* l. 7. Miscellan. *Servium* illustrans. Quo collineant radii stellæ crinitæ. Quippe comã solutam virginitatis, coactam lætitiæ conjugalis

Digitized by Google

instantis indicium accepimus. Nam de posteriori *Claudianus* l. 2. de Rapt. Proserp.

—— libertatemq; comarum
Injecta voluit tandem frænare corona.

Similia cæteris Principibus omina ex dubio texerem, si ad aulas singulorum divertere vacaret, quas, ordinis ignarus, prætereo, haud nescius. Magnis Principibus & cordatis placere magis Veronam, quam Placentiam, qui verò aliter animantur, ægrè haud laturos, si cum adulatore Philippi Macedonum Regis, collyrio illinere nolim alterum oculum, ut ad illius exemplum, cui in bello alter oculus fuerat erutus, uno oculo laborare existimer. Si febrium

Digitized by Google

brium & siccitatum effectus portendant Cometæ, immunitatem Principibus nemo tuto promiserit, Dii sunt, sed ut homines morientur, verè etiam *Lyricus* l. 1. Od. 4.

Pallida mors æquo pulsat pede
pauperum tabernas
Regumq; turres, ô beate Sexti.

Et agricultura Reipublicæ est fundamentum, quæ si vel nimiis siccitatibus cœlo immissis, vel inusitata alia tempestate, seu frigida seu humida, vel oneribus insolitis impediatur, publicum detrimentum ipsi Principes sentient. Frugum inopia neglectum cultum agrorum excipit, hanc pestilentia, at ubi hæ solicitudines discedunt, omnia quibus turba-

Digitized by Google

turbari solita est Roma, domi discordia, foris bellum exoriuntur, quod *Livius* l. 4. tradit, vulgo non occultis tantum quæstibus, sed clamoribus turbidis urgente, quod *Claudius* apud *Tacitum* l. XII. Annal. expertus est.

Mitius foret prognosticum si critica esset evacuatio, sicq; terra omni malignitatis suspicione liberaretur, quod de nostro Cometa sperarem, nisi aliorum signorum pravorum fieret concursus. Non soli Cometes, qui materiæ beneficio & Dei indultu benigniores esse possent, sæpius recurrentes unius anni spatio, inexhaustæ malignitatis indices exoriuntur occiduntq;, sed alia signa mala putredinis comitantur, ex quo-

Digitized by Google

quorum syndrome certius futurum eventum vel præsentem morbi statum divinare Medici solent. Spectra hinc inde vagantur minantia, aquæ cruento colore tinguntur, ignes varii fulgent vel de cœlo cadunt, fragor aëris auditur, bella apparantur, monstra inusitata generantur, &, quod reliqua prodigia superat, vitia tantum, ut ille loquitur, discimus & docemus.

Inter varia monstra, ut peregrina hinc inde narrata silentio involvam, unicum nuper Hafniæ in portu Christianæo natum informe, cujus indicium debeo conjunctissimo Affini & amico *Henrico à Móinichen* Medico Aulico. Huic in vertice caro fungosa & laxa

ad

Digitized by Google

adnata, per cujus medium ſpecillum adigi poterat usq; ad cranium. Naſi veſtigium ſolum ſolo foramine impervio apparuit. Sed quod miſerrimum miſerculo infanti accidit, oculorum nec vola nec veſtigium cernebatur, ut ſimilis videretur illi cæco apud *Joannem* c. IX, 1. quem ita cæcum à nativitate *Nonnus* Paraphraſtes affirmat, ut nulla omnino oculi forma, nullum orbitæ indicium appareret in facie, talis enim eſt viſus ἀχάραγμα, ſeu non ſignatus; ſed hoc miſerior, quod in illam noctem inciderit, de qua commate IV Servator: *quando nemo poteſt operari.* Carneam autem illam capitis appendicem, altetius capitis rudimenta ſuſpicor, ex

Digitized by Google

ex materiæ seminalis abundantia, ut bicipitem hominem molitam esse Naturam si sufficiens fuisset materia, vero sit simile, qualia monstra describit *Liceti* l. 1. de Monstr. talisq; Leodii 1568. futurarum Belgii calamitatum prænuntius puer natus fertur. Frequentius in brutorum genere ludit hoc modo Natura, quia frequentius gemelli nascuntur. De anſere, vitulo, bove, agno bicipite historias congessit laudatus *Liceti*, amicus olim noster, quorum etiam nos exempla meminimus. Mense Februario anni proximè elapsi 1664. quo Eclipsis Ephemeridibus ignota solem obscurabat, vacca emptitia in prædio meo Hagested, vitulum

Digitized by Google

tulum edidit binis capitibus. Villicis ingrato ſpectaculo anxiis; *Catonis* præceptum R. R. c. 1. inculcavi: augurem, aruſpicem, ariolum, chaldæum ne quem conſuluiſſe velint. Memoriæ verò meæ recurrebat *Rabbi Moyſes*, qui Sect. 23. *Joannitio* refert, quod Eclipſi ſolis magna in Sicilia facta, mulieres eodem anno monſtra duorum capitum peperint, & menſtrua per os vomuerint.

Inſerendus hic abortus Helſingorenſis, quem pro monſtro vulgus, rerum ignarum, habuit, cujus deſcriptionem cum iconibus ad me, hiſce ſcribendis intentum, nudius tertius miſit exercitatus civitatis illius Medicus

Fri-

Digitized by Google

Fridericus Hammericus, olim auditor, jam amicus noster, quam in pauca contraham, & breviter illustrabo. Bogislaa Nicolai, uxor Severini Erasmii inter præsidiarios Coronæburgicæ arcis militis, sexto mense gravida abortum rejecit, cætera non inelegantem, sed à temporibus & fronte nucham versus tumore ingenti deformem, qui mitræ Turcicæ similitudinem gerebat. Mox tamen sponte aperta prope sinistram aurem cute, evacuataq; inde aqua loturæ carnium simili, concidit & flaccida cute quasi disparuit, nisi quod immisso flatu eandem figuram turbinatam & ovalem nanciscerentur. Resectâ ista in particulas membranâ

Digitized by Google

crassiore, calvaria ostendebatur naturali forma, sicut in pueulis solet. E jugularibus autem venis intra processum ossis jugalis temporum, ambiens & futuras mendosas, ad os frontis usque sese ostendebat, proximeq; cum pericranio copulatus cernebatur, qui crassitie stilum ferreum intortum referebat. Iconem non addo, illi Hydrocephalo similem, quam dedit *M. Aur. Severinus* de Noviss. Abscess. c. 9. ut ovum ovo similius non sit. De hoc abortu dubitat amicus *Hammericus*, an pro monstroso vel morboso sit habendus: de illo certum esse vulgus, de hoc se judicare, Hydrocephali esse miram, nec vulgarem speciem, quum abor-

Digitized by Google

abortum 5 vel 6 menſium tantæ magnitudinis ejici perrarum ſit, obſtetricesq; Seniores, quæ ibi locorum ad 40. plures annos puerperiis inſervierunt, nihil unquam tale à ſe viſum teſtentur: poſſe vero per vaſa lymphatica venas jugulares comitantia aquã deponi in iſtam ciſternam, quanquam actio ſympathetica excludi non debeat; hæſiſſe enim huic mulieri in fixa memoria infortunium quod pridem ejus culpa infanti Chirurgi acciderat, qui in lebetem ferventis aquæ demerſus, poſt paulo exſpiraverat.

Ego judicium Medici magis laudo, quam vulgi ſuperſtitionem. Re enim accuratius examinata, Hydrope capitis iſte

Digitized by Google

abortus laboravit, non adeò raro, nec periculoso, si extra uterum definito tempore processisset, ideoq; non tam monstroso, quam vulgo creditum. Inter omnes enim hydrocephali species, ista & frequentissima est & maxime indemnis quæ pericranium inter seu cranium & cutem pilosam oritur, alibi nobis visa & observata, reliquis intra cranium periculo magno non carentibus, nec curationem admittentibus. Nobiles enim hic cerebri partes premuntur vel prorsus supprimuntur. Ibi externæ afficiuntur, quæ per incisionem curantur, ea cautione quam *Aquapendens* affert in Oper. Chir. ut per cannulam immissam sensim aqua evacuetur,

Digitized by Google

tur, vel discutientibus imminuatur, sicut naturali evaporatione per poros & pilos quotidie caput deperi videmus. De internis consensum habemus veterum Medicorum, esse pernicioſissimos & insanabiles, in quibus, ut Arabes loqvuntur, non sit ingenium curationis, quos posteri sequntur, ut audacter *Pareus* l. 7. c. 1. neget se vidisse ullum convaluisse ex tumore interno, at facile ab externo. Illum mors sequitur, vel alii gravissimi morbi, ut Epilepsia, quod notat *Forestus* l. 8. Obs. 30.

De utroq; tamen tam externo quam interno, veteres vel falsos credo vel mutilos. Falsos quidem, quod aquam inter cra-

Digitized by Google

nium & pericranium colligi dixerint, adeoq; hanc hydrocephali ſpeciem diſtinxerint ab illa quæ inter pericranium & cutem latet. Quem errorem, vel ſubtilem verius quam veram diſtinctionem ab Ægineta, Ætio aliisq; traditam ſeqvuntur longo agmine omnes Medici. Ego vero pro una ſpecie habendas judicio, fieri quippe non poteſt ut pericranium ita diſtendi poſſit, quin rumpatur, adeoq; ex duplici unam ſpeciem faciat. Vix novacula ſeparare in diſſectionibus poſſumus, magnoq; labore abraditur terebrationibus, ingentemq; doloris ſenſum hydrocephalicis excitaret, quem rarò advertimus. Ex duritie quidem & do-

Digitized by Google

& dolore exiguo pericranium distentum suspicantur Chirurgi, sed vel compressi pericranii id est signum ab incumbente sero acri, vel interioris hydrocephali in externum degenerantis, & cum ossibus cranii membranam quoq; hanc disrumpentis. Talis hydrocephalus esse potuit quem *Panarolus* vidit Pent. 5. Obs. 47. in patritia puella, cui futuræ alicubi erant sejunctæ, alicubi verò unitæ, sed in ipsa cranium erat perforatum, etenim in multis locis aderant cavitates rotundæ, aliæ majores, aliæ minores, per quas humor egressus, distendens cutem, magnitudinem capitis augebat. Hinc una incisione utrumq; tumorem externum cu-

Digitized by Google

ravit *Albucasis*, & utriusq; signa conjunxit *Aetius* tetr. 2. s. 2. c. 2. quæ distinxerat *Æginetæ* l. 6. c. 3. contra *Hippocratem*, & *Celsum* qui l. 4. c. 1. cutis tantum meminit, quæ humore inflatur, ne artem per se difficilem, subtilioribus quam necessariis distinctionibus oneraret.

Manca quoq; est veterum distinctio, quia aquarum collectionem neglexerunt, quam inter ventriculos cerebri posteriorum diligentia observavit. *Galenus* Isagog. c. 18. inter quatuor hydrocephali species, ventriculos excluſit, forsan quia rarò ventriculi aqua replentur, quin ad exteriora extrudatur, vel reliquæ sub cranio, & extra cranium partes affici-

Digitized by Google

afficiuntur, quin unà cerebri ſubſtantia, ejusq; ventriculi comprimantur. Hac compreſſione ad eas anguſtias compellitur cerebrum, ut in hydrocephalo quodam pilam palmariam non excedere viderit *Paræus* l. 7. c. 1. Ventriculi ipſi non tantum aquæ copia ad libram & ultra replentur, quod obſervavit *Chiffletius* Obſ. 11. ſed adeo extendunt ſecum cerebrum, quod in puella Auguſtana annotat præclariſſimus Anatomicorum *Veſalius* l. 1. c. 5. ut tres Auguſtanas vini menſuras contineant, cerebrumq; in capitis vertice membræ inſtar tenue appareat, & gyris oblitteratis totum in ſacculum quaſi extendatur, quemadmodum de-

Digitized by Google

scribit *Hildanus* Cent. 1. Obs. 10. adeoq; amissa figura globosa forma sequatur convexi fornicis, observante *Tulpio* l. 1. Med. Obs. c. 24. imò quandoq; cerebrum universum diffluat. Vidit quippe *Zacutus* Lusitanus l. 1. Adm. Prax. Obs. 4. in puero decenni, duram meningem duplicatam, loco cerebri, aquam limpidissimam boniq; odoris, quæq; ab astantibus gustata, insipida videbatur. Et versa vice ex cerebro irruens aqua futuras dissolvit, quas in juvenis Aquensis hydrocephalo fere quatuor digitos ab invicem distantes observavit *Nicolaus Fontanus* Com. ad Ves. Helsingorensis verò hydrocephalus inter cranium quod illæsum, & cu-

Digitized by Google

& cutem aquæ ſarcinam conges-ſerat, prorſus periculi expers, niſi fata vitam denegaſſent, & corpuſculi perfectionem.

Per quas verò vias confluxus aquarum in caput tumidum fiat, difficile non eſt divinare, nec veterum commenta in eam rem advocabo. Lymphatica quidem vaſa huc pertingere, necdum obſervatum. Igitur ex arteriis deponitur aqua in externum locum: in interiori verò hydrocephalo, diverſa ratio. Glandulas plexus choroidei in his affectibus ſæpius intumuiſſe advertit *Thomas Williſius*, ingenioſus Medicus cap. 12. Anat. Cerebr. unde hunc vicarium lymphaticorum judicat, quod recipiat ex ſangvine circu-

Digitized by Google

circulato ſerum abundans, remittatq; ſi copioſius ſit, quam ut venæ ſtatim reducant, in ventriculos cerebri. Hydrocephali hinc origo petenda, quando nempe major ſeri copia ex arteriis infunditur glandulis choroideis, quam per venas forſan vel exiles vel nonnihil obſtructas revehi queat, in cerebro reſtitat vel in ejusdem ventriculis hæret, tanquam in ciſterna, & aucto indies affluxu, univerſum caput mundat extenditq;. Hæc cauſa eſt, quod ferè tantum in ægris glandulæ iſtius plexus obſerventur, experientiâ *Fr. Sylvii* diſp. 4. §. 12. quia ſcilicet à ſero augentur, & inde quoq; ortus repetendus hydatidum parvularum illi

plexui

Digitized by Google

plexui adnatarum, glandulis ipsis manifestè turgidulis & duris, quales in cadavere Walthériæ annotat Doctissimus *Jo. Jac. Wepferus* de Apop. Hist. 3. quæ, si supervixisset, vel hydrope cerebri, vel Apoplexia periisset.

Ætas hydrocephali nostri tenella nos terrere non debet, quicquid obstetrices veteranæ garriant. Nulla ferè ætas hinc eximenda, quanquam puerorum ossa mollia, & cerebra humidiora, huic malo magis sint opportuna. De decenni puero confitentem *Zacutum* audivimus, in puella sex annorum collectam aquam inter cerebrum & piam matrem refert *Fallopius* Obs. 7. Puerum 5 annorum vidi *Cent. 1. Hist. 28.*

Digitized by Google

Hist. 28. annotatum. Quibus annumerandus puer bimulus apud *Philippum Ingrassiam* de Tum. cui per hydrocephalon superiores omnes & legitimæ futuræ, præter unam lambdoideam, quæ parum hiabat, ita erant diductæ, ut aqua incumbens cerebro per diaphanam cutem transpareret. Alius bimulus *Smetio* l. X. laudatur. Ne de adultioribus dubitemus, sunt inter eruditos qui suspicantur, Judam proditorem hydrope ventris & cerebri ita intumuisse, ut caput ejus instar dolii esset, hocq; morbo periisse. Simile quid apud *Theophylactum* legerunt, sed non satis attente. Ille enim in Scholio ad *Matth.* c. 27. præmissis

Digitized by Google

ſis aliorum de Judæ ſupplicio opinionibus, ſuam tandem ſententiam deprompturus, aſſerit, quod poſuerit collum in laqueum, ſeq; ab arbore ſuſpenderit, arbore autem ad terram inclinata ſupervixerit, Deo volente ipſum vel in pœnitentiam conſervare vel in confuſionem.: Alios autem dicere, quod morbo hydropico correptus per meatum transire non poſſet, per quem poterat plauſtrum transire, deinde ceciderit pronus, & medium crepuerit. Laqueo vitam finiiſſe pleriq; aſſerunt, Vulgata Verſio, & B. *Auguſtinus* l. 11. Civ. Dei c. 17. ne plures advocem. At poſtea ſupervixiſſe arbore inclinata, quam ſicum eſſe à Chri-

Digitized by Google

Christo ante condemnatam, nonnulli fingunt à *Montacutio* explosi, nullius idonei testimonio evincitur. Fuisse strangulatum credimus *Matth.* c. XXVII. sed à quo, non æquè liquet. Ἀπάγχεσθαι enim passionem notat, voxq; medica est *Hippocrati* usitata, cui 2. Aph. 43. ἀπαγχόμενος est qui strangulatur. Versio *Æthiopica* presse *Matthæum* sequuta, strangulatum ait, & obiisse. Sive igitur ab interno animi mœrore, & angustia cordis interceptus illi sit spiritus, quod hypochondriaci & hysterici non raro patiuntur, de quibus multa ex Magistris erudita congessit *Heinsius* Exerc. N. T. sive ipse melancholicus rebus suis desperans, Satanæ

Digitized by Google

ranæ auxilio fauces ſibi præcluſerit, penes me non dijudicabitur. Si illi alii apud *Theophylactum*, aqua inter cutem laboraſſe probaverint, facilius concipiemus quod alibi *Actor*. l. 18. legimus, eum medium crepuiſſe, idq; cum ſonitu, quod verbum λαγὼν ſonat, quemadmodum ferè diſtentus in hydrope venter vel membranæa vefica inflata disrumpi poteſt. Quomodo autem pronus factus? Certè difficilime ſpiritum trahunt melancholici & hydropici ſuffocaro corde copia aquarum, vel ab inferioribus preſſo, & nimius animi mœror facillimè hydropem advocat. Tali autem habitu prono in terram vultu, melancholicorum in morem,

Digitized by Google

fuisse Judam, suspicari possem ex *Actor. 1.* quod πρηνὴς fuerit, quod *Æthiops* vertit, projectus fuit in terram super faciem suam, *Syrus*, cecidit in faciem suam, *Arabs*, prostratus in faciem cadens. Si igitur ab interno principio animæ commeatus Judæ melancholico obstructus fuit, præceps in solum lapidosum factus, tumidum aqua & atra bile ventrem disrumpere potuit ut viscera interna effunderentur. Ita narrat *Mich. Jo. Paschalius* l. 1. Meth. Cur. morb. c. 44. de muliere Ascitica quæ ex casu in lapidem vulnerata, per vulnus ventris subito omnem aquam evacuarit, & in animi deliquium inciderit, quod mirum non fuit ex *Aph.* 27. Sect. 6.

Visce-

Digitized by Google

Viscera autem omnia exinde expulsa, iræ Divinæ adscribendum, sicut de Arrio hæretico ferunt ad sedem se contulisse atq; extemplo pronum cecidisse ac medium crepuisse, effusis visceribus. Nulla tamen causa est, cur de mitiori supplicio cogitemus, quod maximum esse debuit, quo sceleratæ illius traditionis commissum augeretur potius quam expiaretur. Et quanquam nos his fatigemus, hydrocephali tamen in *Theophylacto* nullum indicium reperimus. νόσω enim ὑδρωπικῇ correptus dicitur, nulla parte determinata. Igitur certior contra *Petri Sotii* negationem, extat *Hier. Montui* Medici observatio, de opifice furnario; cui caput ad tantam magnitudi-

Digitized by Google

nem auctum fuerat, ut cum naso facies occultaretur: &*Caroli Pisonis* de puella 22. annorum, & Præfecto hortorum Nanceiorum in viridi senectâ constituto.

Quicquid horum sit, si adultiores infestet hydrocephalus, quibus ossa & membranæ difficilius cedunt, promptiores in utero erunt embryones, quia in utero molliora sunt omnia, majorq; humiditatum prouentus. Multiscius *Mercurialis* l. 1. de Morb. Puer. c. 4. multis rationibus probat aquam hydrocephali colligi potius in capite, quam aliis partibus; Dignæ illæ sunt, quæ à curioso relegantur, nec enim nobis in præsenti vacat singula persequi. Ne insolitum spectaculum Hel-

singo-

Digitized by Google

singorensis Hydrocephali traducant obstetrices, similem prorsus alium, in utero sexto mense genitum, quanquam nono demum excluſum, ex *Epiphanio Ferdinando* Hist. Med. XX. producam, ut imperitis silentium imponatur, quibus nihil stultius. Narrat ille Vir bonæ fidei, & inter Medicos experientiæ haud tralaticiæ, ad annum 1599. mense Decembri, Pernam Guarinam Messapiensem à sexto mense fœtum sensisse divulsum & loco suo remotum, at peperisse in nono pergrandem infantem marem, qui supra caput, præsertim circa anteriorem partem, alterum caput videbatur habere, tumorem verò hunc non exactè fuisse rotundum, sed ovali

Digitized by Google

figura donatum, mollem, digitis cedentem cum murmure quodam. Ut noſtro ſimilem agnoſcamus, addit, ſecunda die ſua ſponte fuiſſe diſruptum, ex quo quatuor vel quinq; vicibus exiere quinq; libræ aquoſi ſangvinis ac ſeroſi. Conſentit quoq; in loco affecto, quem inter cutem & pericranium conſtituit. In uno ſolo diſſentit hiſtoria, quia in mortuo hydrocephali cadavere, vidit frontis & petroſa oſſa ſeparata, ita ut in futura coronali caput viſum fuerit ſine oſſe. Deniq; occaſio non abludit, quæ anſam huic hydropi dedit, nam ſexto menſe grandem phialam & inconſuetam è puteo violenter, & vi hauſerat. Nec aliud fuit Meſ-

ſapien-

Digitized by Google

sapiensis vulgi de hoc abortu judicium, Nam prima fronte velut monstrum quoddam videbatur, & infantem cum duplici capite natum publica fama fuit. Sed non existimarim abortum nostrum magis pro monstroso habendum, quam hydrocephalum in adultioribus, quia naturæ tenellulæ convenientior, minusq; periculi portendit quam reliquæ hydrocephali species. Nisi quemvis abortum pro monstroso sumamus, præsertim semestrem, quod *Bonaventura* l. 7. de Oct. Part. c. 27. vult, hoc nomine à *Caranza* de Part. Nat. c. 17. desertus. Quamvis proprie abortus sit ante septimum, seu non vitalis, nec legitimus, quia ex Juris

Digitized by Google

Consultorũ placitis, comparatur ei qui nunquam natus est, de quo videndus *Zacchias* tit. 2. quæst. Med. Leg. 2. Illi tamen de hæreditate loquuntur & testamentis, non quod corporis conformatio sit diversa ab adulto & vitali, nisi ratione perfectionis, roborisq;. At hac ratione minus monstri erit in hydrocephalo abortus sex mensium, quam in adultiori, quia facilius secundum naturam loco suo dimoventur ibi ossa cranii, & copiosior est humiditas. Embryonis suspensio ex matrice est ex *Abensina* l. 3. fen. 21. tr. 2. c. 20. sicut suspensio fructus ex arbore, qua similitudine antea *Hippocrates* usus fuerat de Octim. Part. Nemo verò dixerit pomum immatu-

Digitized by Google

maturum decidens, monstrosum. Variat præterea embryonum perfectio, pro naturæ varietate; ut sæpe partum feximestrem vitalem observaverit *Horatius Augenius* l. 1. Part. c. 21. quemadmodum enim effectus quidam naturales rarò advenientes, suo tempore necessariam habent generationis causam; sic puerum sexto mense in lucem prodeuntem, licet rarò vivat, necessarios tamen vitæ causas obtinere. Imò vitales etiam quinquemestres admittunt Medici Hispani eruditissimi, *Ferdinandus Mena* & *Franciscus Vallesius*. Verè enim *Henningus Arnisæus* noster de Part. Term. th. 79: sicut natura aberrat non rarò à decimo in

Digitized by Google

minulum cordis figura insculptum. Pedes præterea per digitos divisi instar animalium digitatorum, præter morem bisulcorum. At abortus Helsingorensis monstris minus recte annumeratur, quia morbosus est, sicut alii hydropes thoracis, ventris, testium &c. Auctam tantum magnitudinem indicat præter naturam & vitium corporis sero abundantis, cujus curationem Medici tradunt, & communem cum cæteris hydropis speciebus *Celsus* l. 4. cap. 2: vocantq; morbum, ex quo bene ominari nec ægro possumus, nec aliis qui similia ex casu simili pati possunt. Referri etiam inter ominosa ostenta possunt abortus, naturæ defi-

Digitized by Google

deficientis indices, & depravati aëris. Hisce sanè temporibus nihil in villis frequentius, quam vaccarum intempestivi fœtus, nihil in urbibus magis deploramus, quam gravidarum etiam primæ notæ occasus, & abortus numerosos. Inter signa verò universale judiciũ præcedentia apud Apocryphum *Esdram* l. 4. c. 6. v. 31. legimus, quod prægnantes immaturos parient infantes trium & quatuor mensium, sed quod additur, & *suscitabuntur*, necdum impletum meminimus. Illud per naturam, licet laborantem, fit, hoc Dei solius opus est, cui vota exsolvo, quod inter has cœli minas & terrarum portenta nuperrimè feliciter ex uxore mea lectis-

Digitized by Google

lectissima octavo puerperio, *Johannem* meum, filium quartum, susceperim.

Quia in capite pleraq; monstra vitium ostentant, cœli commercium significatur, cui caput consentit, mundiq; superioris & inferioris ægritudo monstratur. Diligenter tamen cavendum, ne in his decipiamur, ea pro monstris traducentes, quæ hominum tantum judicio & vulgi ignorantia, neutiquam rerum peritis, à solita naturæ via recedunt. Non standum hic publico vulgi rumore, quod non rarò monstra fingit, quæ monstra esse desinunt, à peritioribus examinata; nam eleganter *Minutius Felix:* fama semper insparsis mendaciis alitur,

Digitized by Google

tur, ostensa veritate consumitur. Nuperum hujus rei in villa mea exemplum notavi. Ante Cometæ primi exortum uxor coloni cujusdam, qui se nominari non petiit, extra fastum potius & ambitionem, quam extrà paupertatem positus, abortum juvencula passa est. Tam verò difficilis illi fuit hic conatus, ut obstetrix promovere prius nihil potuerit, quã abortivi fœtus caput à trunco divelleret. Ita mutilatum fœtum in mensa obstetrix, quasi re benè gesta, exponit, compressumq; capitulum divulsis cranii ossibus in plano explicat, speciemq; monstrosi capitis fingit, latiusculè supra frontem expansa cute & ossibus solutis fluctuantibusq; in circu-

Digitized by Google

circulum positis. Per oppidum nostrum & vicinos Tussitas monstrosi partus fama divulgatur ominoso rumore.

Hi narrata ferunt alio mensuraq; ficti
Crescit; & auditis aliquid novus adjicit auctor.

Quid rei esset, delato ad me indicio, præsens expiscari volui. Vidi optimè conformatum caput Infantile, puerperamq; ostenti terrore perculsam bono animo esse jussi, astantibus verò de falso nuntio vel obstetricis imprudentia admonitis monstravi ad oculum, divulsa fuisse manu obstetricis ossa cranii in extractione abortivi fœtus, quæ in globum iterum collecta naturalis elegan-

Digitized by Google

elegantisq; formæ caput restituerunt.

Ostentis parum tribuere soleo, quia cum *Petronio* auguria non novi, nec cœlum aruspicum curo: & consilio *Ulpiani* ff. de Div. Reg. Jur. §. 9. in obscuris, quod minimum est, sequor. Semper enim in dubiis benigniora præferenda, *Gajus* ff. de div. Reg. §. 56. Non parum tamen nunc commoveor, ex multorum prodigiorum agmine, quæ quanquam causam habeant naturalem, præter naturæ tamen consvetum ordinem eveniunt, ut ex inusitatis affectionibus & symptomatis, laborantis corporis superi inferiq; statu, dubium universalis morbi eventum divinare debeamus.

Digitized by Google

mus. Doleo vices mortalium, qui nescio qua confidentia, bona sibi hinc somniant, hacq; fiducia & incredulitate, ostentorum numerum & veritatem confirmant. An ulla in Deum extant merita, quibus gratiam Cometarum mereantur? Præclarè Epictetus apud *Stobæum* serm. 1. si cupis bonus fieri, primum crede quod malus sis. Nisi fallit *Lactantius* l. 5. c. 1. tam etiam nunc in malo statu res est, ut desint sanæ mentes, quibus & veritas placeat, & monstratum sibi rectum iter & videant & sequantur. Adeò mortalibus nihil verum, nisi quod auditu svave est, nihil credibile, nisi quod potest incutere voluptatem. Nec Cometas effectu

meti-

Digitized by Google

metiuntur, quem utplurimum fortiuntur, aut materia, ex qua constant, noxia & corruptioni obnoxia, sed splendore æstimant, quem etiam putridis lignis piscibusq; inesse illustrem nescire non debent, imò ipsis pustulis quæ dolent, *Martiali* l. 2. Ep. 29. lucentes dictæ, & lampyridibus, quæ pungunt, & Moysi cornuto legem promulganti. Capitis affecti & morbosi signum est scintillatio & lux oculis nostris obversans, quam *Hippocrates* noster παραφυὴ vocat, & Epilepsiam præcedere solet, quod Comitissæ exemplo probat *Marcellus Donatus* l. 2. Hist. Mir. c. 8. Ipse Patavii mulierem vidi vertiginosam scintillas ex oculis ejaculantem.

Digitized by Google

Celius Aurelianus Medic. Methodicus l. 1. Chron. c. 4. de Epilepsia testatur, circulos igneis circumferri oculis sentire ægrotantes. Refert *Galenus* l. 7. de Decret. c. 4. novisse se quendam qui post somnum patefactis repente latebris magnam ante oculos lucem videre sit solitus, videndiq; sensu mox privatum. Ita splendentes oculos inter corporis signa sinistra recenset *Adamantius* Sophista Physiogn. l. 1. cap. 12. ubi per *Janum Cornarium* interpretem sic loquitur: Si oculi splendicarint, etiamsi lumen fuerit in ipsis, non boni sunt. Splendor enim si in cæsiis ac cruentis oculis fuerit, calidum facinus, & omnimodam audaciam indicat, ut pro-

Digitized by Google

prope ad insaniam accedant, si verò in ravis fuerit, timiditatem. At nigri oculi splendicantes, pessimi, & timidi, & valdè malefici. Ex pilis sæpe scintillæ emicuerunt, sed semper ferè Epilepsiæ prodromi, de quibus nos alibi l. 1. de Luc. Animal. egimus. Videt ingeniosus quo rem deducam, ne scilicet splendor Cometarum lætos nos efferat, magis quam incolas Romanos, qvum incensa Roma Neroni jucundum spectaculum præbebatur.

Sed extra circulum nostrum raptus, vix memineram me Medicum, cujus officium est corpus curare, non animam. Igitur in universali hac totius ulcerosa affectione, ne ad sana individua

Digitized by Google

contagium aliquod serpat, quod ruptum cœli vel rumpendum apostema minatur, nosq; feriat, legibus Medicis prudenter assvescendum, ne quidquam ulcerosus animus curam corporum conservandorum avertat. Inprimis moderata sint omnia, *quia* excessum cœlestes Cometæ portendunt, nec nimium exsiccanda nec calefacienda corpora, ut habeamus quibus nos contra æstus & siccitates vel quascunq; aëris injurias defendamus. Optimam aquam procurabimus, si vitiosa sit locorum injuria, crebra coctione vel percolatione. Hyems præterita futuræ Æstati optranda, quam nivibus in cellis nivariis reconditis vel arte factis temperabi-

Digitized by Google

rabimus. Reticere non possum, quia commoda occasio oritur, nivis insignes virtutes, quas Vestalis Virgo 36 annorum experta est non ita pridem, cujus singularem morbum & inauditam vivendi rationem nuper mihi ex Gallia humanissima ab amicis transmissam, ea fide referam, qua accepi.

Decimo quinto ætatis suæ anno, menstruis paucis, tardis & dolorificis cœpit purgari, quæ anno ætatis suæ vigesimo suppressa sunt, & supervenientevomitu, mox salso, tum acri, tum dulci, qui per duos annos continuavit, aperientibus, menses moventibus, ac pessariis, ipsam juvare Medici irrite conati

Digitized by Google

sunt. A dicta menstruorum cessatione, aut medicamentorum calidiusculorum usu suborta est satyriasis, quæ ab eo tempore ad hodiernum diem (scilicet à 16 annis) & pollutionibus circitet centum singulis diebus naturalibus torquetur. Illas spasmus, alienatio mentis, & angustia prorsus incredibilis concomitantur: quibus factum est, ut ipsa sibi necessariam imposuerit vivendi legem, & à sexdecim annis, pomis & omni genere malorum pascitur, aquam putealem simplicem, gelu ad supremum frigoris gradum redactum potat, dicto gelu sinum pudoris obturat, intimumq; ventrem circumvallat. Cum morbus visus est indu-

Digitized by Google

inducias dare, assistentes vires reficere tentarunt jure carnium; verum ardor immodicus supra dictam vivendi regulam accersivit promptissimè. Talis fuit per 14 annos ægrotantis vivendi modus, scilicet ab ætatis illius anno vigesimo ad trigesimum quartum, quo tempore tantis fuit ardoribus excruciata, ut maximam duorum annorum partem, imò & hiemem rigidam in gelidæ balneo transegerit, & per tredecim dies naturales continuos in illud remanserit à 29 Julii 1660 ad 11 Augusti, à quo tandem caracterem suffocati in aquis & 13 dierum mora putrefacti referebat. Tensæ quidem & turgidæ corporis partes supra

Digitized by Google

naturalem statum duplo videbantur, lividæ, putrefactæ, emonturæ, & ulceribus frequentissimis gangrenosis erosæ, quibus calcanei nervi putrefacti sunt, & decidui, & in hunc modum cute universa defædata, ulceribus pervia, & pure restagnante, ardores interni aliquomodo cohibiti sunt. Jam verò 20 Januarii 1661 curatis perfecte dictis ulceribus, & colore vivido universo corpori restituto, nunquam malè habuisse videtur, & lacte solo per sex menses ad libras circiter decem singulis diebus nutrita est, & aqua frigidissima; ulcera verò mali moris & phagodenica curata vitellis ovorum & butyro recenti, cum alia topica ferre non

possent.

Digitized by Google

posset. Durat tamen satyriasis, pollutio frequentissima & partium internarum calor tantus, ut panno lineo solo sufficienter per hyemem tegatur, & continuo aqua gelida lineis pannis imbutis regionem pubis, & pudendorum foveat. Vescitur autem jam lacte non cocto, modico pane, fructibus & aqua gelida.

Mensium defectu, & Viri per vitæ professionem abstinentiâ, tantum æstum in calido per nativam temperiem corpore accensum suspicari licet, quem frigidissimis rebus externis interrasq; temperatum tanto minus miror, quod etiam sanæ mulieres Gallicæ frigidam sine noxa, vini loco, bibant, & nativum

circa

Digitized by Google

circa præcordia æstum in siccis corporibus frigida humidaq; lympha moderentur. Nivis verò & gelu externus usus felicius huic successit, quam *Amurathe* III. Imperatori Byzantino, qui, teste *Thuano*, calculi renalis doloribus per totos 20 dies graviter adflictatus, cum ex illorum violentiâ enasceretur carbo, nihil præter aquam frigidam & glaciẽ parti affectæ spretis aliis remediis adhibuit, vitâ postremò functus est. Cæterum quæ de Nive dici ad hujus historiæ illustrationem poterant, omnia absolvimus qvum de *Nivis* in Medicina *Usu* datâ industriâ commentaremur, quo Lectorem nostri amantem amicè amandamus.

Ad

Ad diætam regressi, Victam & Potuam colendam suademus, si deæ alienæ tantopere placent, quas victui potuiq; præfecerunt Romani apud *Arnobium* l. 3. adv. gent. sed ita ut Cibus & potus ad libram cum *Cornelio* Veneto exigatur, Melioribusq; assvescendum, quasi custos adesset. Vino abstinendum, quod nobis in septentione denegavit Deus, quia eo carere potuimus. Audiamus Divum *Augustum*, qui querentem de inopia & caritate vini populum, severissima hac voce coercuit: Satis provisum à genero suo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines sitirent. Non est quod Naturæ hic rigorem queramur. Abstemii salubrius

Digitized by Google

brius degunt, quod alibi in *Medicina Danorum* probavimus. Quod non semper vino utendum ex *Platone* indicat *Eusebius* l. 12. Præp. Evang. c. 17. ex Carthaginensium instituto, ut nunquam in castris quisquam vinum gustare gaudeat, sed toto militiæ tempore aquæ usus comprobetur: in civitate autem servis nunquam vini usum, nec magistratibus quãdo Rempublicam gubernant, concedendum, nec gubernatoribus, nec judicibus, nec qui deliberaturi in consilium vocati sunt. Substituamus Cereris liquorem, suecum pomorum, nostro genio commodum, lactis serum, humorem betulæ & juglandis. Habeamus aquam; habeamus

Digitized by Google

mus polentam, Jovi ipsi de felicitate controversiam faciamus. Sine indignatione non lego *Roderici à Fonseca* Lusitani iniqvum de zytho seu cervisia judicium de San. Tuend. c. 12. quod nihil boni habeat, nisi quod pingves reddat ejus potatores, in reliquis mala multa pariat. Plerique enim Oenopolæ, quos Hafniæ hactenus novi, pingviores fuerunt, meminiq; inter Regios Bacchi ministros fuisse, qui vix onus oboesi sui corporis gestare potuerunt. Nec id mirum, si quidem vinum celeriter & satis potenter nutrit, quod post alios erudite *Sachsius* meus probavit Ampelogr. l. 2. s. 6. m. 2. c. 5. Pro Cervisia Apologiam non scribo, quia laudes

illius

Digitized by Google

illius & Usus salutares Polyhistor *Martinus Schoockius* post alios nervosè persequutus est. Unicum tantum repetam ex *Zuingero* l. 3. Theatr. Vict. Hum. illi quoq; c. 42. laudato, quia de abscessu universali verba facimus, ut grata varietate lectoribus tædium levetur. Jeremias Triver Medicus olim doct⁹, & in praxi felicissimus, cum aliquando evocatus esset Antverpiam ad virum primarium graviter ex catarrho laborantem, prima vespera, qua in urbem venit, incidit in amicos quosdam, omnium horarum homines, à quibus cum liberalius poculis exciperetur, plane ægri, ob quem vocatus erat, oblitus fuit. Postridie ad eum, ster-

fertentem adhuc, aliquis nomine ægri venit, rogans quid facto opus foret, quod æger in extremis versaretur. *Irriverus* qui crapulam nondum edormiverat, existimans se invitari ad sumendum jentaculum, respondit: sume cervisiam tepidam, eiq; multum facchari cum medulla panis incoquito. Alter, credens certam remedii formulam præscribi, ocyssime domum se contulit, jussitq; ægro sorbitiunculam talem ex cervisia præparari, quâ sumptâ, abscessus qui in illius gutture hærere videbatur, mox evanuit, atq; intra paucos dies convaluit.

Carnium esus parcior imperandus; inde enim putredines

Digitized by Google

ingentes, & multorum malorum origo. Neq; enim ex masophagis, dicebat Diogenes apud *Porphyrium* de Abstin. l. 1. fures & milites, sed ex κρεωφάγοις sycophantæ. Hinc quadragesimale jejunium imperatur in *Concil. Laodicen.* Canon. 50. cum ξηροφαγία seu pane sale & aqua ut ex *Epiphanio* explicat *Christoph. Justell.* Parum igitur carnis, plusculum juris expedit. Proscribenda aromata, bellorum in Europa & in corpore incendiorum causa. Per vices verò foliis Colutheæ, fumaria, nasturtio &c. sangvis emundandus. Antidotum eligendum familiaris usus, non Theriaca, cujus ad fabæ magnitudinem mane sumebat *Antoninus*

nus Imperator, nec Mithridatium, quia & calore nocent, & nobis aliena; sed Conserva Rosarum nostrarum, Rob Sambucinum, electuaria Calendulæ, morus Norwagicæ, & cæterarum herbarum inquilinarum, temperamento nostro convenientium. Et quia alii arcana urgent, ne nobis deesse illa videantur, secretum Augusti patriæ nostræ commendamus, qui, ne fulgura nocerent, semper & ubiq; pellem vituli marini pro remedio circumferebat, teste *Suetonio*, cujus etiam remedii meminit *Plinius* l. 2. c. 55. illis profuturi qui fulguris cœlestis & terrestris metu tanguntur. Alterum arcanum esto, ut, consilio *Flacci*, intra

Digitized by Google

Synopsis Consilii De ABSCESSU COELI, Seu COMETA.

Ad

Virum Illustrem

STANISLAUM LUBIENIESZKY de LUBIENIETZ.

QUàm grata fuit Epistola Favoris & pristini amoris interpres, tam ingratum accidit argumentum, quod data temporum coelicq; occasione, quæ tua est curiositas & Naturæ scientia, inter nos agitari cupis. Augurii tamen eventum Sapiens spernit nihilq; intervenire sinit, quod amicitiæ faciat divortium. Dudum vero in respondendo fuissem promptior, nisi me prædium meum avocasset, ubi à curis urbanis & penè dixerim literariis remotus, prorsus aliud agebam. Jam vero in urbem reversoaurem vellicat Frater Charissimus Erasmius Bartholinus, ut pudore suffundar, quod desidiam, inusitatam hactenus apud me in

Digitized by Google

in scribendo incusare possint amici, quibus antea ad omne obsequium fui paratissimus. Nempe, deteritur cum ætate calamus, segniorq; manus torpet, quo fato est vicinior. Nè tamen credas, meam animam esse inter cœli omina fulgentem, quod de Julio olim suspicabantur, sive ut modestius veriusq; loquar, ne me mortuum existimes, quod non pauci in Germania Eruditi & fauentes, falso rumore de mè sparso, doluerunt; paucis verbis testabor, quanti tuam voluntatem faciam, & quantum amicis, etiam semivivus, debeam. De prodigioso verò illo igne cœlesti, qui variis mundi plagis ostensus est, inusitatæ magnitudinis & ætatis, judicium meum exquiris, quod valdè miror. Cœlum n. ejusq; incolas relinquere coactus fui, alio studiorum generi implicitus, hominiq; me totum addixi, terrarum incolæ & vicinioris notitiæ amico. Unde quicquid de Cometa utroq;, nuper viso, ex observationibus nocturnis dici potest, abunde Frater, harum rerum peritus, ad Te perscribet. Video tamen aliquid mihi, ut Medico relictum, quo Cometarum prognosticum nonnihil illustretur. Penes Te sit judicium, si ingenio magis quam Veritati litem, quia scribendi occasionem dedisti, dabis quoq; veniam, si scribendo extra viam communem deflectam.

Digitized by Google

flectam. Cometam tanquam cœli abſceſſum concipio, qui ſua habet incrementa & declinationes. Unde autem materia in tumorem congeratur, penes me dijudicari non poteſt, an ex orbe noſtro fœtido exhalationes aſcendant, an ex cœli orbibus malè habentibus effluvia in globum hunc compingantur, incertum eſt, quanquam poſterior ſuppoſitio à Mathematicorum filiis facilius admitti poſſit, qui cœlum corruptioni & generationi eſſe obnoxium fatentur, nec ita facilè concedent terrenas exhalationes ad diſtans cœlum permeare. Quicquid autem horum ſit, quamcunq; generationem cometarum ſumamus, certum erit è materia conſtare, quæ diſſolvi, quæq; ad nos remeare poſſit, ſive calida ſive ſicca, ſive quæcunq; alia, qua corpora noſtra & ſublunaria alia vel calore accendantur, ve ſiccitatibus areſcant. Fauſta enim ominari ex hoc cœli abſceſſu vel rupto vel rumpendo non auſim, quia ſymptomaticus eſt, haud cuticus, nec cum ſymphoria luxit, ſed inhumana hyeme præcedente, febres, dolores laterum exitiales apud nos produxit, & incredibilem armentorum ſtragem; ideoq; univerſi morboſum ſtatum indicat, vel eò magis, quod unus abſceſſus morbificam materiam evacuare

non

non potuit, succedente altero in Pegaso. Ex utriusq; magnitudine & duratione, idem prognosticum elicimus. Excessus enim materiæ malignæ indicatur, quæ quum in nihilum redigi non possit, nec dissipari, ad nos redit nosq; inficit. Quæ vero incommoda metuenda, non æq; liquet, quia abscessus remoti naturam ignoramus, an siccitate vel calore, vel utroq; exitium terrigenis immineat. Ad omnes verò terræ incolas spectare existimo, quos aspexit sidus crinitum, præsertim vero illos qui Corvo, hydræ, navi, cani majori, lepori, eridano, Ceto subjiciuntur, quæ cœli signa prior cometa emensus est, vel Pegaso subsunt, ubi alter hujus anni Cometes fulgere visus: ante omnes vero Arietis clientes sibi timere debent, ubi utriusq; cometæ quidam quasi concursus fuit. Ego quidem decreta Cometarum tanti non facerem, nisi vestigia me terrerent. Habent quippe plerumq; tristem Castrophen, & ex mea suppositione causam præternaturalem, morbosi corporis indicium, unde, ut cum Medicis loquar, mali sunt ut signum & ut causa. Auget suspicionem aliorum signorum pravorum συνδρομὴ, quæ circa eadem Cometæ utriusq; tempora notavimus. Igneæ n, cœlo deciderunt, sangvineis guttis hivis

Digitized by Google

82. 84. ex duplici materia. 27. 32. frigidiuscula. 34. longè elevatus, 41. omnibus lucet. 8. incertam plagam habet. 26. incertos nos reddit. 40. cur attonitos, contra Sextum. 77. malus est, qvia ad interiora revertitur. 45. omnem materiam non evacuat. 51. mala portendit ratione causæ. 41. & signi. 44. qvibus. 42. qvomodo. 80. naturalis non est. 50. siccitates portendit. 83. febres. 84. annonæ charitatem. 91.

Cometa duplex. 53. candido humana effigie. 75.

Cometa infaustus Dario. 58. 59. mithridatio infelix. 60. Julii malè ad Augustum transfertur. 61. Neronis exitialis Senecæ. 62. Edvardi Danis malus. 64.

Cometa 1618. 1652. mala portendit. 65. 66.

Cometa 1664. qvid Leopoldo I. significaverit. 88. 89.

Cometarū 1664. 1665. cursus. 27. successio. 45. 46. 53. pravitas ex Syndrome signorum. 92. 93.

Cometæ felices, infelicia bella portendūt. 63. 64. olim rari. 72. felices Cæremoni. 74. qvando benigni. 66. Mercuriales & Martiales. 67.

Cometarū duratio 33. locus. 34. cauda unde. 35. effectus varii ratione causarum. 43. 44. prædictio con-

Digitized by Google

contra Scaligerum & Gassendum, 86.
de Cometis vett. sententiæ. 36.
Cometas esse Planetas juxta veteres. 38. 39.
Cometula aëris. 71.
Conservæ nobis utiles, 147.
Corvus salutator. 88.

D.

Dæmones per prodigia conversi, 70.
Diæta post Cometam servanda, 134. 141. 146.

E.

Eclipsi Lunæ deliquium animi. 13. Solis, Mostra bicipitia. 96.
Effluvia cœlestia pro generatione Comet. 126.
Excusatio Autoris, 7. 28.

F.

Faces Nuptiales. 89.

G.

Ganeum robur in affectibus pulmonis. 56.
Globi cœlestes, 81.

H.

Heracliti sententia de æstate & hyeme, 181
Hydrocephali species inoxia, non pituitosa. 101. plures species. 104.
de Hydrocephalo vett. sententiæ. 102.
Hydrocephalus quomodo censeri mereatur. 105. seq. per quas vias congeratur. 107. seq. omen mortis invadit, 109. adultos, & pueros. 116. sexto mense genitus. 117.
Hydrops rupium. 124.

I.

Judæa hydropicus. 101. 115. an laqueo perierit. 101. seq. melancho-

Digitized by Google

cholicus 112. qvomodo præceps factus. 113. 114.

L.

Librorum complicatio. 48.
Lunæ effectus in Epilepticis. 14.
Lymphatica capitis. 107.

M.

Manus inspectio, 55.
Μελαγχολία qvid. 29. falso Priscillianistis tribuitur. 30.
Monstra à vulgo finguntur. 126.
Monstrum sine oculis Hafniense. 94. biceps. 95. vitulinum. Hagestedense, 96. agninum. 123. qvid propriè, 122.

N.

Nævi capitis qvam partem corporis designent, 54.
Nivis usus in Virgine, 135. seq. externus usus Amuratho infelix, 140.

O.

Oculi splendor malus, 132.
Ostentis qvid tribuendum, 129.

P.

Partus tempus variat, 121.
Plexus choroidei tumor, 107. 108.

R.

Rorismarini odor diffusus, 19.

S.

Σαλήνη de cœlo & fœmore, 72.
Scalarum ad cœlum pertingentium longitudo. 37.
Scintillatio oculorum mala, 131.
Secreta remedia contra

Digitized by Google

tra Cometarum effectus, 147. seq.
Signa cœlestia naturalia indicant, 69. 70. timeda non sunt. 73.
Solstitiorum incommoda, 12.
Splendor Cometarum an lætus, 131.
Stella Magorum an Cometa. 75. de illa Chalcidii confessio, 76.
Stellę die apparetes. 25.
Stellarum decreta an significent. 47. an faciant. 49.
Strumarum copia. 51.

V.

Vestalis Virginis rara Historia. 136. seq.
Victus tenuis qvadragesimalis. 146.
Vinum improbatur, 141. nutrit. 143.
Violarum odor in Ætna, 20.
Viscera effusa Judæ & Arrio, 115.
Visus fit emissione radiorum, 23. longius progreditur, 24.

X.

Ξηροφαγία qvid, 146
Ωφελια Hippocratis, 11.

Qvia vacat pagella Carmen elegans ferò mihi transmissũ à Celeberrimo DAN. GEORG. MORHOFIO J. U. D. Profess. Rostoch. in laudẽ Comment. nostri De Nive, cujus supra mentio facta, legendũ publicè exhibeo, ne tanti Viri affectũ, de qvo mihi gratulor, neglexisse videar.

MAgne Vir, Aoniis toties qvi perpluis orbem
Fontibꝰ, æternas nunc qvoqꝫ funde Nives.

Dent

Digitized by Google

Dent alii gemmas, aurum, dent deniq; verba:
Das infucatas tu, meliora, Nives.
Qvid pulicum saltus, aut qvid metimur arenas?
Dædaleæ fabricam tu mihi cerne Nivis.
Ne flocci facias tenuis miracula flocci.
Heic latet arcanæ nobile Mentis opus.
Magna sub exigua tegitur sapientia formâ,
Qvodq; sagax possit discere menior habet.
Invenit occultas Medicina domestica vires,
Indeq; fœcundas didicit arator opes.
Hinc clarum nomen Tibi, BARTHOLINE, decusq;
Nascitur, & multum Nix tua lucis habet.
Perpetuæ durate Nives! non humidus Auster,
Non Sol in liqvidas extenuabit aqvas.
Non æstiva dies, non trux Jovis ira, nec ignes,
Nec vincent istas secula longa Nives!
Frigida sub prælo nix, (qvæ miracula?) fervet.
Fuligoq; albas parturit atra Nives.
Qvisq; leves redimit nummorū pōdere floccos,
Duraq; pro molli merce metalla sonant
Venditor augeri loculos miratur, & istam
Vel sic fœcundam judicat esse Nivem.
Qvod petit è flammis optatū Chemicus aurum
Agricola è vili pulvere, Nauta mari;
Qvodq; Maro invenit qvondā sub sordibus Enni,
Eruit è madidâ Bibliopola Nive.
Librorum titulos potuerunt hactenus omnes
Verbaq; vel fumos vendere; nemo Nives.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

auct. Dr Wille. „ 30.
ligat. „ 30.

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google